PA 3549
.G4

QUAESTIONES

DE

GRAECAE TRAGOEDIAE DIALECTO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERNARDUS GERTH

DRESDENSIS.

LIPSIAE

TYPIS MELZERI.

MDCCCLXVIII.

PA3549
G4

Non unam puramque in Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulis quasi regnare dialectum Atticam, sed pro singulari illa, quae in omnibus fere conspicitur poesis Graecae generibus, dialectorum varietate ac vicissitudine tragicos quoque poetas et ex Homeri carminibus et a Doriensium consuetudine quaedam sumere ad orationem illustrandam et variandam, dudum a viris doctis intellectum est. Neque vero quam late pateat peregrinorum vocabulorum usus atque varietas, satis constat. Alteri enim viri docti, ut Theoph. Car. Guil. Schneiderus in quaestionibus illis quas *De dialecto Sophoclis* scripsit a. 1822, et Car. Kuehlstaedt in *Observationibus criticis de tragicorum Graecorum dialecto* (Reval. 1832), quidquid eiusmodi in libris manu scriptis traditum est, tamquam vera sive Homeri imitationis vestigia sive rarioris cuiusdam et exquisiti artificii indicia defenderunt ex eisque ad alios locos emendandos praesidia artis criticae petierunt; alteri, ut Elmsleyus, Porso, Guil. Dindorfius, angustioribus epicas potissimum quae dicuntur formas finibus circumscribentes multa quae contra subtiliores illas leges ab ipsis aut inventas coniectando aut e grammaticorum antiquorum praeceptis deductas pugnarent, in editionibus suis mutaverunt. Neque id quidem mirum. Etenim ut permultum valuisse cum apud omnes poetas Graecos tum in arte tragica poesis epicae vim ac memoriam in volgus notum est, ita neminem fugit quam saepe librarii, qui quantum in Homeri carminibus lectitandis et perdiscendis collocaverint operae, dici vix potest, formas epicas aut inscientes ipsi et inopinantes, aut Homeri imitandi studio permoti in Grae-

corum poemata falso intulerint. Quos sive errores sive fraudes si nonnunquam detexit numerorum depravatio, quid tandem obstat quominus aliis quoque in locis, ubi e metri ratione vitiosam scripturam indagare non liceat, similiter librarios peccasse suspicemur? Quaeritur igitur, possitne una quaedam eaque constans investigari norma ad quam codicum memoriam revocemus et emendemus, virorum doctorum coniecturas examinemus; vel, si id forte parum contigerit, sintne certa vocum ab Attica dialecto alienarum quas poetae tragici usurpare soleant, genera firmaeque caussae quibus illi commoti alteram formam receperint, spreverint alteram? Quae quidem quaestio etsi non sine multiplici fructu incohata est et instituta a multis fabularum Graecarum editoribus, qui ad artem criticam caute et circumspecte exercendam in singula quaedam diligentissime inquisiverunt: absolvi tamen et ad certum definitumque exitum perduci non poterit, nisi, in unum collata cuncta exemplorum copia, coniungantur singula et comparentur, coniuncta comparataque explicentur. Hoc igitur ad consilium si non exsequendum, at praeparandum et adiuvandum aliquantulum me posse conferre sperabam, si quaecunque formae in Aeschyli Sophoclis Euripidis tragoediis tragoediarumque fragmentis exstarent alienae a dialecto Attica quae volgo intellegitur, i. e. ea huius dialecti consuetudine qua usi sunt poetae comici et oratores, ita colligerem ut primum enumerarem formas Atticas antiquiores, quae illa aetate non iam in usu volgari essent, sed ob ipsam antiquitatis speciem ac magnificentiam cum poesis sublimitate bene congruere viderentur; tum disputarem de formarum epicarum quae dicuntur usu et ratione; denique in vocabula Dorica accuratius inquirerem. Qua in re praeter clarissimas illas Elmsleyi, Brunckii, Godofredi Hermanni, Guilelmi Dindorfii editiones non mediocriter me adiuverunt quae Lechnerus in duobus libellis quos inscripsit *De Aeschyli studio Homerico* (Berol. 1862) et *De Sophocle poeta Ὁμηρικωτάτῳ* (Erlang. 1859) congessit vocabula Ho-

merica, et subtilis quaedam Hermanni Schaeferi *De Dorismi usu in tragoediis Graecis* disputatio (Cottb. 1866).

Iam vero ne firmis quasi fundamentis prorsus egere videatur eiusmodi disputatio, circumspiciamus quaenam ad poetarum tragicorum dialectum recte iudicandam exstent

CAPUT I.

ARTIS CRITICAE PRAESIDIA.

Ac primum quidem unamquamque huiusmodi quaestionem par est proficisci ab

§. 1.

Antiquorum grammaticorum doctrina.

Quamquam, si in ullo litterarum antiquarum genere, in hac re minuta sunt ac valde dubia grammaticorum Graecorum praecepta. Nam cum ex universis eis studiis quae pertinerent ad dialectorum proprietates, paucissimae ad nostram usque aetatem pervenerunt relliquiae, tum tragicae orationis et consuetudinis, in qua exploranda multum Alexandrinos grammaticos posuisse operae e magno librorum numero quorum tituli passim commemorantur cognoscimus, admodum tenuis in Phrynichi, Moeridis, Gregorii Corinthii, Photii, Hesychii, Suidae, Eustathii excerptis servata est memoria, in scholiorum varia colluvie paene nulla. Quorum fragmentorum is est usus atque condicio, ut in formis Doricis praecipue et epicis non mediocrem habeant utilitatem, quippe quibus manifesto nonnunquam aut confirmetur librorum manu scriptorum auctoritas, aut emendentur quae per temporum iniquitates a pristina forma descierant: in vocibus Atticis antiquioribus non sine subtiliore cura ad artem criticam exercendam sint adhibenda. Quisquis enim quosnam praeceptorum suorum testes atque auctores grammatici afferant quibusve e fontibus exempla sua petierint, paullo accuratius inspexerit, facile inveniet Phrynichum

certe et Moeridem et Gregorium Corinthium (quibus maximam partem eorum praeceptorum debemus), omnes denique Atticistas pro singulari suo consilio non tam a poetarum tragicorum proficisci usu et proprietate, quam a Thucydidis, Isocratis, Demosthenis, Aristophanis oratione,[1]) quippe quos scriptores optimam censeant scribendi normam praebere. Iam si constat — id quod nemo dubitat — non semper poetas Graecos suae sequi aetatis consuetudinem, sed antiquiorum interdum formarum granditatem redintegrare: quid mirum quod haud pauca illi Atticistae praescribere solent quae vere Atticorum sint, non sint tragicorum? Recte, ut adiciam exemplum, Phrynichus et Moeris Atticos tradunt dixisse *ἀεί* producta vocali *α* pro *αἰεί*, *κάω* pro *καίω*, *ἐλάα* pro *ἐλαία*, *ἀετός* pro *αἰετός*; at tragicos quoque poetas diphthongum sprevisse ex hoc certe testimonio nullo modo efficitur. An ex his Gregorii Corinthii verbis[2]): „*τὸ λαός καὶ τὸ ναός καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν, Μενέλαος, Πρωτεσίλαος, καὶ ἁπλῶς πάντα τὰ διὰ* $\overline{αος}$, *οἷον Ἀμφιάραος, διὰ τοῦ* $\overline{εως}$ *προφέρουσι, Μενέλεως, Πρωτεσίλεως, νεώς, λεώς*“ concludemus *λαός*, *ναός*, similia e tragoediis Graecis esse removenda, quae metri condicione necessario postulentur? Constat igitur, ubicunque in commentariis illis adiungatur poetarum tragicorum auctoritas, aliquid tribuendum esse ei testimonio; universa dialectus Attica ubi significetur, aequum et iustum iudicium nisi adhibitis aliis artis criticae adiumentis fieri non posse.

Sed est aliud quoddam — ut subsidia extrinsecus petita enumerare pergam — e quo non paullum in tragoediarum proprietates iudicandas et explicandas redundare soleat fructuum:

---

1) Luculentissimum huius rei documentum est Bekker. Anecd. p. 7: *Ἀρχῆθεν* (qua voce haud raro uti poetas tragicos grammatici minime ignorant) *παρὰ μὲν ταῖς ἄλλαις διαλέκτοις εὑρίσκεται, Ἀττικοῖς δὲ οὐ φίλον. διὸ οὔτε Πλάτωνα οὔτε Θουκυδίδην ἔστιν εὑρεῖν λέγοντα τοῦτο.*

2) De dial. Att. p. 42. ed. Schaef.

§. 2.

Lyricae et comicae poesis comparatio.

Atque ad lyricorum poetarum similitudinem cum omnis carminum choricorum natura atque indoles quam proxime accedit, tum nonnulla quaedam cantica tantam spirant et sententiarum sublimitatem et verborum granditatem, ut haec quidem cum quovis Pindari carmine facile compares. Sed de hac artissima tragoediae Graecae cum poesi lyrica necessitudine ubi extrema hac disputatione accuratius dicendum erit, tum demum quanti praesertim Pindari carmina sint momenti ad formas peregrinas quae in tragoediarum canticis leguntur iudicandas et explicandas, planum et conspicuum fiet.

Diverbiorum autem oratio iam dudum cum comoediarum genere dicendi, quod ex Aristophanis fabulis luculentissime cognoscitur, comparari coepta est. Ita scilicet Aristophanes cotidianam suae aetatis dicendi rationem sequitur, ut in diverbiis admodum paucas constanter usurpet formas poeticas quae dicuntur, usitatissimas nimirum et diu in linguae Atticae copiam quasi adscitas; peregrinis formis omnino non utatur — quantum equidem perlustrata earum formarum multitudine perspexerim — nisi cum iocosa quadam poetarum epicorum lyricorum tragicorum imitatione. Apparet igitur primum si quae in tragoediis occurrunt voces antiquiores, eas non propterea reiciendas esse quod comoedia praeferat recentiores formas. Porro quidquid in comoediis saepius dicitur sine ulla imitandi specie, id in tragoediis nequaquam certo cuidam consilio atque artificio tribuendum est — quod non raro ausus est Kuehlstaedt — sed universae poetarum consuetudini; minime vero eiusmodi formas in suspicionem vocabimus; velut *βᾶτε* et *βάτω*, etsi mira forte cuipiam videatur vocalis *α*, certissime confirmantur multis Aristophanis locis ubi similis invenitur eiusdem verbi declinatio. Denique quae passim in comoediis leguntur voces ab Attica dialecto alienae, iniuria eas

nonnunquam viri docti, hoc Aristophanis freti testimonio, in tragoediarum quoque convenire orationem arbitrati sunt, non curantes illi, quodnam poesis genus ridens poeta imitatus sit: epicae scilicet voces, quas non raro iocose admiscent comici, nihil prorsus huc faciunt; tragicorum vero, saepenumero etiam lyricorum imitationibus ipsarum tragoediarum oratio ita illustratur, ut quid unumquodque poesis genus decere Athenienses censuerint, quid elegantiae fines excedere, e comoediae irrisionibus interdum facile intellegatur. Quis est enim — ut adiungam exemplum — quin e Thesmoph. vv. 877. et 878:

ποίαν δὲ χώραν εἰςεκέλσαμεν σκάφει; —
Αἴγυπτον. — ὦ δύστηνος, οἳ πεπλώκαμεν,

ubi poeta, qui in omni hoc loco a versu 846. fere usque ad v. 946. abunde perstringit Euripidis Helenam,[3]) aperte illudit Eur. Hel. v. 532:

πορθμοὺς δ' ἁλᾶσθαι μυρίους πεπλωκότα,

coniciat ipsis Atheniensibus Ionicam vocem *πεπλωκότα* (quae praeterea nusquam apud scriptores Atticos reperitur) in tragoedia Attica nimis quaesitam visam esse et turgidam?

Quae cum ita sint, non tantum quae apud Pindarum leguntur similia, in hac disputatione breviter suo quaeque loco enumerabimus, sed etiam Aristophanis exemplis, ubi opus esse videbitur, ad peregrinarum formarum rationes et caussas commodius explicandas utemur.

Iam vero transgrediamur ad ea artis criticae adiumenta quae ipsis contineantur tragoediis Graecis. Atque in his quidem quanti momenti sit

§. 3.

Metri ratio,

vix est quod copiosius exponamus. Apparet enim nihil plus valere quam numerorum condicionem et ad detegen-

3) Cf. Ribbeckium ad Acharn. p. 295—98. et not. 35.

das voces epicas Doricasve per librariorum errores falso illatas — ut verbi causa Prom. 428 [4]) codicum scriptura: ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος κραταιόν abhorret ab antistrophae v. 433:

κελαινὸς Ἅιδος δ' ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς.

item Oed. R. 1451: ἀλλ' ἔα με ναίειν ὄρεσσιν ἔνθα κλήζεται vox ὄρεσσιν corrumpit trimetrum iambicum — et ad nonnullas voces ab Attica dialecto alienas tuendas. Nam quis est — ut huius quoque generis adiciamus exempla — qui μοῦνος, ξεῖνος, μέσσος vocabula in volgari Atheniensium sermone nullo pacto ferenda in supicionem vocare conetur, cum legitimis Atticorum formis restitutis ingens trimetrorum numerus pereat necesse sit? At vehementer cavendum est, ne, quod nobis copiam faciat diversarum formarum eligendarum et recte disponendarum, id potissimum etiam poetam arbitremur ad quamlibet cuiusvis dialecti formam usurpandam commovisse; quasi hoc deceat verum poetam, metri vinculis obstrictum versus pangere non posse, nisi diversissimis vocabulis hinc et illinc anxie congerendis et miscendis. Cuius pravae opinionis facile quis reos fecerit eos qui aut numerorum varietatem angustioribus circumscribentes finibus reconditissimis verbis inferendis maiorem efficiunt versuum elegantiam quam ipsi poetae efficere voluerunt, aut aequabilitatis nimis studiosi quaecunque verba rariora non necessario metri legibus postulentur, ea aequabilius quam aequius cum formis volgaribus commutant; quo in numero insignis exstitit Atticistarum sectator Blomfieldius. Sic potius statuendum est, binas saepenumero formas poetis tragicis pro omni cum universae artis poeticae consuetudine tum artis tragicae origine ac natura, de qua infra breviter disputaturi sumus, propositas fuisse: alteram volgarem, poeticam alteram. Iam quemadmodum in carminibus Homericis variae eiusdem vocabuli formae (v. c. κάρητι,

4) Dindorfii sequimur editiones in Aeschyli et Sophoclis, Nauckii recensionem in Euripidis fabulis.

κορήατι, κράατι, κρατί; ἔμμεναι, ἔμεναι, ἔμεν, εἶναι) non ad numerorum cursum expediendum a poetis fictae, sed ex antiquiorum temporum memoria haustae sunt, tum demum secundum varias versuum commoditates dispositae: simili modo poetae tragici binis formis propositis prout aut versuum elegantia commendabat aut singulare quoddam consilium postulabat, nunc hanc nunc illam ita delegerunt, metri opportunitas ut non tam caussa esset peregrinarum vocum, quam quasi moderatrix, quae formas iam dudum in universam poesim receptas distribueret atque digereret.

Omnino autem diu a viris doctis observatum est intercedere quoddam inter versuum numeros et orationis colores cognationis vinculum, efflorescens illud ex ipsa poesis indole, quae quam artissime nos externam sermonis speciem accommodare iubet ad sententiarum vim et naturam. Itaque cum dactylis epicis non raro coniunctas videmus voces ex Homeri carminibus sumptas; ex numeris incitatis et ardoris plenis sponte effluunt volubiliores quaedam ac velociores vocabulorum formae, velut soluti nominativi *πάθεα*, *βέλεα* ctt. Quamquam is quidem metri et orationis consensus minime tam insignis semper et manifestus est, ut certas et constantes ex ea re leges liceat deducere.

Sed ultro ad quartum quiddam venimus, quod in dialecti vicissitudinibus iudicandis nequaquam videatur neglegendum esse:

§. 4.

Singularem uniuscuiusque loci naturam et indolem.

Bene iam veteres perspexerunt ex universa tragoediae maiestate, quae a cotidiana vita in heroum deorumque sanctissimam memoriam spectatores reduceret, necessario orationis efflorescere splendorem ac magniloquentiam. Notissimum est illud Aeschyli in Aristophanis Ranis (v. 1059):

Ἀνάγκη
Μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα τίκτειν.

Aristotelis autem aetate cum iam disceptari coeptum esset, num poetis tragicis suae dialecti fines excedere liceret,[5]) gravissime ille reprehendit Ariphradem quendam, qui voces epicas et lyricas, ut *σέθεν*, *νίν*, *δωμάτων ἄπο*, „*ἃ οὐδεὶς ἂν εἴποι ἐν τῇ διαλέκτῳ* (sc. *Ἀττικῇ*)“ in fabulis Atticis improbaverat. Inmiscenda esse Aristoteles docet[6]) cum in omni genere dicendi paullo elatiore tum in poetarum carminibus vocabula minus usitata vel peregrina — quae *ξενικὰ ὀνόματα* vocant grammatici —, ne ad volgarem hominum sermonem — *λέξιν ταπεινήν* — nimis accedere videatur oratio; quo *ὀνομάτων ξενικῶν* nomine recte idem non vocabula ea tantummodo comprehendit quae in lingua Attica omnino non exstent, verum etiam formas vocabulorum ab Atticorum consuetudine diversas: *ἐπέκτασιν*, cuius exempla affert *πόληος* pro *πόλεως*, *Πηληιάδεω* pro *Πηλείδου*; et *ὑφαίρεσιν* s. *ἀποκοπήν*, qua voces reddantur breviores, quam volgo soleant pronuntiari.

Iam quae ad universum tragoediarum genus dicendi tantopere valuit sententiarum vis et gravitas, ea ad singulos quoque fabularum locos ita pertinet, ut et ubi altius assurgat oratio, eam orationis elationem sequantur graviora reconditioraque verba, et ad singulare interdum consilium exsequendum usurpetur singularis quaedam vox et a reliqua totius loci specie remota; quemadmodum nostri poetae antiquioribus nonnunquam vocabulis et locutionibus revocandis insignem quandam efficere student gravitatem. Subtiliora igitur exquisitioris artis vestigia delent, qui Atticistarum praeceptis nimium obstricti quam simplicissimam orationis aequabilitatem restituere conantur.

At si usquam, hac ipsa in re, quae ad uniuscuiusque denique redeat sensum atque arbitrium, magna est cautio ne praeiudicatis ducti opinionibus nostram potius in poetae verba inferamus opinionem, quam poetae consilium ex ipsius

5) Aristot. Art. poet. c. 22.
6) Aristot. A. P. 20.

verbis eliciamus. An ulla exstat regula secundum quam quid veteribus visum sit grave, quid volgare, quid incitatum, quid tranquillum, pro certo affirmemus? Fateor equidem, verbi caussa, in forma *Θρήσσησιν*, quam Mauritius Seiffertus, qui pro *θνέλλησι* Ant. 984. substituit *θνέλλαισι*, intactam reliquit Ant. 588:

Θρήσσησιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,

propter ipsam ut ait *soni raucitatem*, quaenam sit ista soni raucitas, quae in altera forma *Θρήσσαισιν* suavitas, me cogitatione non assequi. Sententiarum ergo colores subtili et cauto iudicio, quantum liceat, explicemus, sonorum discrimina, nisi firmiora accedant argumenta, omittamus.

Sed cum hac re, de qua in singulis exponendis accuratius disputandum erit, cognata est gravissima illa in ipsis tragoediae partibus diversitas: aliud scilicet dicendi genus est in canticis lyricis, quibus cum universa poesi lyrica summa intercedit necessitudo; aliud in diverbiis, quae etsi propter argumenti sanctitatem magnificentia quadam splendent orationis, pro ipsa tamen colloquii natura ad communem hominum sermonem propius accedunt; aliud in anapaestorum systematis, quae ita medium fere obtinent locum inter cantica et diverbia, ut quo artius cohaereant cum melicis fabularum partibus, eo propius ad externam canticorum speciem accedant; aliud denique in nuntiorum narrationibus, quae quoniam cum epico narrandi genere per se aliquid habent similitudinis, pauca adsumpserunt ex epica poesi quibus abstinuerit diverbiorum mediocritas. Apparet igitur, via et ratione si progredi velimus, non licere aut quae in una earum partium non legantur, ex altera temere removere, aut quae hic firmis nitantur argumentis, illuc statim coniectura inferre, sed diligentius esse investigandum, quid proprium sit anapaestorum melicorum — ut breviter ita dicam —, quid anapaestorum volgarium; quid poetae ausi sint in nuntiorum narrationibus, quid in diverbiis. Quapropter, si distinctius suas cuique parti ac peculiares proprietates vindicare non licet, — sunt enim non

pauca omnium generum communia —: at in singulis enumerandis, quibus unaquaeque forma apta sit tragoediae partibus breviter significabimus.

Iam igitur ad ipsum propositum accedentes ante omnia paullo accuratius disseramus

CAPUT II.

DE ANTIQUIORIBUS VOCIBUS ATTICIS.

§. 5.

In vocabulis

καίω, κλαίω. αἰετός. ἐλαία, Ἀχαιίς

utrum poetae tragici retinuerint diphthongum inde ab Homeri temporibus in universa poesi Graeca usitatam an substituerint vocalem *α* productam, diu multumque nostra aetate disputatum est. Suadent alterum libri, alterum grammatici. Etenim in Aeschyli et Sophoclis codice Laurentiano, Euripidis Marciano, Vaticano, Havniensi haec leguntur:

καίω Agam. 301 [7]).

κλαίω Ag. 18. 69.[8]) (anap.) 890. 1096. (cant.) Sup. 925.[9]) Sept. 656. 872 (anap.) 1058 (an.) 1067 [10]) (an.) 920 (cant.)

Oed. R. 401. 1152. Oed. Col. 1608. 1621. Tr. 905. 909. 941. 963. (cant.) 1072. Phil. 939. Ant. 754. 980 (cant.) — fr. 501. 587.

Alc. 190. 192. 201. 530. 542. 948. 1041. 599. (cant.) 987. (cant.) Andr. 577. 634. 758. Hec. 212 (mel.). Hel. 1190. Her. 270. 445. Herc. F. 1111. 1238. Supp. 286. 458. 775.

---

7) Pro *πλέον καίουσα τῶν εἰρημένων* Dindorfius scripsit: *προσαιθρίζουσα πόμπιμον φλόγα.*

8) Dindorfius coniecit *ὑποκάοντες.*

9) M. *κλάεις.*

10) *κλάειν* solus Par. A.

Hipp. 1086. 1175. Iph. A. 306. 1122. Iph. T. 55. 230 (mel.) Cy. 174. 340. 425. 701. Med. 347. Or. 61. 280. 951. Phoen. 1434.

κλάω Eur. Hec. 840.

αἰετός Prom. 1022. Pers. 205. Choeph. 247. 258. Ag. 138 (cant.) fr. 145. 167. (Herm.) — Ant. 113. (anap.) 1040. fr. 423. (c.) 768.

. Rhes. 531. (c.) Hel. 20. fr. Meleag. VI, 1. Hyp. XI, 2. inc. XXXVII, 1.

ἐλαία Pers. 617. Ag. 494. Eum. 43. — Oed. C. 484. 701 (cant.) fr. 464. — Ion. 1433. 1436. Cy. 455. Iph. T. 1101 (cant.) Tr. 801 (c.) fr. Epig. 3, 7. ἐλαιόφυτος Pers. 881. (c.) ἐλαιοφόρος Herc. F. 1178. ἐλαιοφυής Ion. 1480. ἔλαιος Soph. Tr. 1197.

ἐλάα Oed. Col. 17. (si recte hoc e Dindorfii silentio concluditur).

Ἀχαιίς Sept. 28. — Hel. 1544. Ἀχαικός Ag. 185 (cant.) 189 (c.) 624. — Her. 193. Troad. 236.

Ἀχαΐς Pers. 488. — Eur. El. 1285. Ἀχαϊκός Hec. 510. 521. Troad. 657. 707. 863. 1017.

Vides igitur graviorem esse librorum discrepantiam in vocibus Ἀχαιίς — Ἀχαΐς, Ἀχαικός — Ἀχαϊκός; formarum κάω, κλάω, ἀετός, ἐλάα tam tenuia esse vel paene nulla vestigia, vix ut ulla oriri posse videatur dubitatio, nisi cum codicum memoria pugnarent grammaticorum testimonia. Quo in numero affero Orionem in Etym. M. p. 31, 49: ἀναλογώτερον οἱ Ἀττικοὶ ἀετὸς λέγουσι χωρὶς τοῦ ἰῶτα, ὡς κλαίω κλάω; Eustathium p. 28, 31: Ἀθηναῖοι μὲν τὸ κλαίει κλάει λέγουσιν· οὕτω δὲ καὶ καίει κάει, αἰεὶ ἀεί, αἰετὸς ἀετός. Grammat. Meermann. in Gregor. Cor. ed. Schaef. p. 647: τῆς αι διφθόγγου τὸ ι ἀφαιροῦσιν· ἀντὶ γὰρ τοῦ κλαίειν κλάειν λέγουσι καὶ τὸ ποιεῖν ποεῖν καὶ τὸ ποίημα πόημα.[11]) Quae quidem testimonia cum praeclare confirmari viderentur libris Aristophanis, in quibus fere semper traditum est

11) Adde etiam Moerid. p. 231. cum Piersoni nota.

αετός,[12]) ἐλάα, κλάω, exstitit nostra aetate qui ex omni poesi Attica illas diphthongos exstirparet: Porsonus,[13]) quem secuti sunt Bastius,[14]) Brunckius,[15]) Gaisfordius,[16]) Dindorfius.[17]) At primum mira profecto est virorum doctorum in ea re inconstantia: grammaticis scilicet si plus habendum esse censent fidei quam libris manu scriptis, quid tandem est cur spernant scripturam ποεῖν quae ab eisdem grammaticis una cum κλάω ctt. commendetur, inscriptionibus Doricis, Ionicis, Atticis abunde comprobetur, codicibus et tragoediarum[18]) et comoediarum[19]) bene, ubicunque iambo opus est, confirmetur? Porro ne ipsi quidem grammatici satis sibi constant, quippe qui ex illis vocibus exsulare iubeant diphthongum, in voce Ἀχαικός, quae, ratione et via si singula consideramus, ab ἐλαία, αἰετός ctt. disiungi nullo modo possit, eandem diphthongum acriter postulent; sic enim Eustathius p. 99, 7: Τὸ δὲ Ἀχαιΐδα, inquit, ἐντελῶς ἔχει, καθὰ καὶ τὸ Ἀχαικός. Τὸ δέ γε Ἀχαΐδα καὶ Ἀχαικός, ὥσπερ καὶ τὸ Ἀχαία παρὰ τοῖς ὕστερον, ἀπέλευσιν ἔπαθε τοῦ ῑ κατὰ ἀκολουθίαν Αἰολέων, οἳ ἀποβάλλουσιν αὐτὸ καὶ ἐν τῷ Ἀχαιός, ὡς καὶ ἐν τῷ παλαιός; distinctius autem Phrynichus p. 39: Ἀλκαϊκὸν ἆσμα δι' ἑνὸς ῑ οὐ χρὴ λέγειν, ἀλλ' ἐν τοῖν δυοῖν· Ἀλκαικόν, τροχαικὸν καὶ

12) Sane quidem interdum Aristophanes scripsit αἰετός, sed in aperta utique epicae poesis imitatione: Eq. 197: ἀλλ' ὁπόταν μάρψῃ βυρσαίετος ἀγκυλοχήλης Γαμφηλῇσι δράκοντα κοάλεμον αἱματοπώτην, in iocoso illo oraculo; prorsus similiter Eq. 1013: ὡς ἐν νεφέλαισιν αἰετὸς γενήσομαι. 1087: ἀλλὰ γάρ ἐστιν ἐμοὶ χρησμὸς περὶ σοῦ πτερυγωτός, Αἰετὸς ὡς γίγνει καὶ πάσης γῆς βασιλεύσεις. Av. 978: αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι· αἰ δέ κε μὴ δῷς, Οὐκ ἔσει οὐ τρυγὼν οὐδ' αἰετὸς, οὐ δρυκολάπτης. 987: καὶ φείδου μηδὲν μηδ' αἰετοῦ ἐν νεφέλῃσι.

13) Praef. ad Hecub. p. 4. — 14) ad Greg. Cor. p. 347.

15) ad Pers. 174. — 16) ad Markl. Suppl. p. 75.

17) praef. ad Soph. ed. Lips. 1825 p. LVII.

18) Pauca afferam exempla: ποεῖν legitur in cod. M. in Soph. El. v. 319. 385. (337) 623. 624. 947. Tr. 385. 390. 598.

19) Rav. habet ποεῖν Eq. 213. 246. 465. 734. 741. 746. 811. 1180. 1321.

ἀρχαικόν. Tum vero supra (§. 2) demonstrasse videmur Aristophanem non semper optimum esse orationis tragicae auctorem et fontem, grammaticos autem tueri nonnunquam posse libros manu scriptos et ab iniusta suspicione defendere, in suspicionem vocare non posse, nisi aut apertis verbis ipsarum tragoediarum explicaretur usus aut graviora extrinsecus accederent argumenta. Verum sane est, a numerorum condicione nihil in codicum scripturam redundare neque adiumenti neque impedimenti, sed quis est, qui adeo metri vinculis poetas coerceat, ut metri caussa quidvis eis concedat, praeter metri necessitatem quidquam sibi sumere vetet? Nihil igitur ne tum quidem illis argumentis efficeretur, si vere scriptura *καίω*, *κλαίω* ctt. ab omni Atticorum usu esset aliena — enumerabimus scilicet haud pauca mere Ionica, quae nemo adhuc e Graecorum fabulis removere ausus sit.

At non peregrinae sunt illae formae. Nam ut concedamus in volgari Atheniensium sermone inde a vetustissimis temporibus usitata fuisse *κάω*, *ἐλάα*, *ἀετός* ctt. — id quod certe in vocabulis *κάω* et *κλάω* multis numeris probabile est —[20]) alius tamen fuit litterarum usus atque ratio. Constat enim mirificam quandam fuisse eius linguae qua Attici antiquiores utebantur in litteris conscribendis, cum dialecto Ionica necessitudinem; haec effecit ut in inscriptionibus Atticis vetustioribus inveniamus dativi terminationem *ῃσιν* in

20) Iam ex aoristis *ἔκαυσα*, *ἔκλαυσα* sponte elucet fuisse olim formas *κάϝ-jω*, *κλάϝ-jω*; ex his quae profecta sunt per productionem suppletoriam *κᾱjω* et *κλᾱjω* (ut e *φάϝεα*, aeol. *φαύεα*, evadit *φᾶεα*), aut corripuisse videntur vocalem *ᾱ*: *κᾰ́ω κλᾰ́ω* (cf. *χραισμέω*, i. e. *χρᾱισμέω* s. *χρᾶσιμέω*, *Μούσαισι*, i. e. *Μούσᾱισι*, cf. *Μούσῃσι*) aut eiecisse spirantem: *κᾶω*, *κλᾶω*. Fortasse similiter *ἀετός*, *ἐλάα*, *Ἀχαΐς*, *ἀεί* non orta sunt ex *αἰετός*, *ἐλαία* ctt. sed utraeque formae prodierunt ex *᾽ᾱιετός*, *ἐλᾱια* ctt. Productio enim suppletoria quae vocatur non fit post eiectas vocales, sed propter consonarum elisionem; cf. *Ἀθηναία* — *Ἀθηνᾶα*, *ναιέτης* — *νᾱέτης* Simon. fr. 57. Bgk., 10. Sch., *ποιέω* — *ποέω*, *τέλειος* — *τέλεος*.

cotidiano Atheniensium sermone plane inauditam;[21]) haec in verbis commendabat *σσ*, pro quibus consonis recentiores substituerunt *ττ* (*πράσσω — πράττω*);[22]) hac denique litterarum consuetudine formae *κλαίω*, *ἐλαία* ctt. Atheniensibus adeo probatae sunt, ut eas voces non tamquam peregrinas spernerent, sed in litteris ut antiquiores et graviores per longum temporis spatium suae dialecti vocibus volgaribus (*κλάω* ctt.) praeferrent. Quid mirum igitur quod et in inscriptione Attica[23]) occurrit vox *αἰεί*, et eodem fere tempore Thucydidem sic scripsisse diserte explanateque praeter librorum memoriam contendit Marcellinus, qui[24]) *ὡς ἐπὶ πλεῖστον*, inquit, *χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ Ἀθήδι, ὅταν τὴν δίφθογγον τὴν αι ἀντὶ τοῦ ᾱ γράφῃ, αἰεί λέγων*; quid mirum quod Demosthenes et voce aperte Ionica *εἵνεκα*, et futuro usus est ex illo *κλαίω* deducto: *κλαιήσω*; quid mirum quod vel apud Aristophanem invenimus formam *ἀρχαικός* voci *Ἀχαικός* prorsus similem? quam cum Nub. 821. et codicum auctoritas et grammaticorum testimonium[25]) praeclare tueantur, haud facile in suspicionem vocaveris. Num igitur quod ceteris scriptoribus libenter concedamus, id poetis tragicis adimamus? Quid quod in hoc Thesmoph. loco (v. 1063)

Ἀλλ', ὦ τέκνον, σὲ μὲν τὸ σαυτῆς χρὴ ποιεῖν,
κλαίειν ἐλεεινῶς· — ΜΝΗ. σὲ δ' ἐπικλαίειν ὕστερον,

Euripidis et Mnesilochi verba plane ac penitus intellegi non poterunt, nisi si non sola re, sed verbis quoque et imi-

21) Cf. §. 9.

22) Alteram formam ex altera temporum decursu ortam esse vix nunc quidem quisquam contenderit.

23) C. I. no. 76, l. 25, ex ol. 90, 2.

24) In vita Thucyd. §. 52. Cf. praeterea Renneri *de dialecto poesis eleg.* disputationem in Curtii Stud. I. p. 171.

25) Gramm. Bekk. p. 449, 10: *Ἀρχαικὸν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα διὰ τῶν δύο ι. Νεφέλαις Ἀριστοφάνης· ὦ παιδάριον εὖ καὶ φρονεῖς ἀρχαικά.*

tatione Euripidis tragoediam perstringi statuerimus? Postremum ne hoc quidem praetermittendum est, quod de vocibus ἐλαία et ἐλάα grammatici mirum quantum inter se dissentiunt: alii docent ἐλαία significare arborem, ἐλάα fructum;[26]) alii utique scribendum esse ἐλάα contendunt;[27]) alii recte et ἐλαία et ἐλάα in usu fuisse tradunt.[28]) Binas nimirum formas cum apud scriptores Atticos invenirent, subtilius suam utrique vim tribuebant, prout casu fortuito huic vel illi notioni occurrebant. Sic ergo statuendum erit ut quamdiu in litteris antiquior valuerit consuetudo cum dialecto Ionica artius cognata, tamdiu καίω, κλαίω, αἰετός, ἐλαία, Ἀχαιίς, Ἀχαικός scribi solita esse censeamus; propria ac peculiaris populi lingua ubi primum plus sibi comparavit auctoritatis, vetustiores voces magis magisque exolescebant. Quae quidem commutatio cum iam in comoedia saepenumero suam exercuisset vim et potestatem, crevit et ad finem quendam perducta est Euclidis fere archontis aetate, a quo tempore saepius indies pro σσ scribebatur ττ, pro τοκῆς τοκεῖς,[29]) pro τύπτῃ τύπτει[30]); donec aliquot saeculis post recentissimorum scriptorum, Polybii, Plutarchi, Diodori doctrina et quaesitum studium vetustiorem morem nonnullis in rebus restituit et redintegravit.

Sed consentaneum est non repentine ex altera linguae quasi aetate in alteram transsiliri, sed esse quosdam commutationis gradus inter formas antiquiores et recentiores; quo fit, ut apud Thucydidem legamus αἰεί, non legamus

---

26) Suid. s. v. ἐλαία τὸ δένδρον, ἐλάα δὲ ὁ καρπός. Eust. 1572, 34: ὥσπερ καὶ ἐλαία, αὐτό τε τὸ φυτὸν καὶ ὁ καρπός· αὐτὸς δὲ μάλιστα δίχα τοῦ ι. ἐλάα γὰρ Ἀττικῶς ὁ τῆς ἐλαίας καρπός.

27) Thom. p. 292: ἐλάα καὶ ἐπὶ τοῦ καρποῦ καὶ ἐπὶ τοῦ δένδρου κρεῖττον ἢ ἐλαία.

28) Schol. Ran. 988: ἐλάα δὲ ὁ καρπὸς τῆς ἐλαίας· καταχρηστικῶς δὲ θάτερον ἀντὶ θατέρου λαμβάνεται. — Eust. 1944, 8: λέγει δὲ ὁ αὐτὸς (Αἴλιος Διονύσιος) καὶ ὅτι ἐλαίας καὶ ἐλάας Ἀττικοὶ τὸν καρπὸν ἔλεγον.

29) Cf. §. 8. — 30) Cf. §. 8.

ἐλαία, sed ἐλάα. Tragoediam vero utpote pro universa et argumenti sanctitate et orationis gravitate ab usu cotidiano longe remotam non descendisse ad volgarem hominum sermonem qualis in comoedia tunc usurpari coeptus est, sed antiquiorum formarum earumque cum universa Graecorum poesi communium — quod quanti sit momenti ad tragoediarum dialectum recte iudicandam postea videbimus — retinuisse sollemnitatem, nunc quidem mirum videri non potest.

§. 6.

αἰεί. Ἀθηναία. προναία.

Paullo impeditiorem reddidit particularum αἰεί et ἀεί rationem et distributionem librorum manu scriptorum inconstantia. Habemus enim — ut omittamus ᾽ἄει, quod aliter scribi omnino non licet —

αἰεί Pers. 602. Eum. 76. 836. Ag. 762. (cant.) 1450 (c.) fr. 202 (an.) — OC. 1530. 1532. Ant. 76. Tr. 16. El. 650. 917. Ph. 148 (a.) fr. 517. 713. — Hec. 1182. El. 889. Her. F. 638 (c.) Hip. 168 (c.) 1110 (c.) 1117 (c.) fr. Tel. XXI.[31])

᾽ᾱεί Pers. 176. Eum. 596. 773. 992 (c.) Sup. 675 (c.) 704 (c.). — OR. 786. OC. 1584. El. 305.[32]) 218 (c.) 1242 (c.) OC. 682 (c.) Ph. 172 (c.) 717 (c.) — And. 95. Med. 455. 1023. Ph. 87. 539. 1074.

Vides igitur quod Ellendtius olim speraverat:[33]) si quis accuratius Aeschyli et Euripidis scripturam excussisset, fore ut aeque atque in Sophoclis libris particulae ἀεί minorem inveniret fidem et auctoritatem, secus accidisse; utriusque enim formae in codicibus fere par est numerus. Iam cum olim vocabula ἀεί, αἰεί, αἰέν ita disponere soliti essent, ut ἀεί teneret iambi locum, αἰέν efficeret trochaeum,

31) Praeterea αἰεί traditum est Prom. 42. 645. Eum. 687. Soph. Tr. 35. Eur. Or. 516. 605. in primo versuum pede, ubi metri nulla adest necessitas; aperte falsum est Soph. El. 171. Tr. 28.

32) M. habet αιεί, ι a m. rec. interserto.

33) Lexic. Sophocl. vol. I. p. 22.

spondeo ubi opus esset, collocaretur *αἰεί*, hac quoque in re varias nostra aetate artis criticae difficultates moverunt veteres grammatici, qui particulae *ἀεί* vocalem *α* ab Atheniensibus et produci et corripi tradunt, vel potius ex eorum verborum, de quibus modo disseruimus (§. 5) similitudine coniciunt; — nam quis est quin ex Orionis verbis quae supra exscripsimus: *ἀναλογώτερον οἱ Ἀττικοὶ ἀετός λέγουσι χωρὶς τοῦ ἰῶτα, ὡς κλαίω κλάω*, et ex Apollonii praecepto:[34] *ἔτι ἐκεῖνο ἀληθές ἐστιν, ὡς ἀεὶ. ἡ ὑποστολὴ τοῦ τ δευτερεύοντος τοῦ φωνήεντος ἔκτασιν ποιεῖται τοῦ ᾱ· οὕτως ἔχει καὶ τὸ ἰθαγενέεσσιν ἐτίμα*[35] *παρὰ τὸ ἰθαίνω, οὕτως ἔχει καὶ τὸ ἀεί· τὸ γὰρ ἀναλογώτερον ἐν μακρῷ τῷ ᾱ*, concludat iam inter veteres de vocalis *α* mensura dubitatum esse, obtinuisse tamen eos qui cum in verbo *κλάω* longam viderent vocalem cumque *ἰθαγενής* ex *ἰθαι-γενής* ortum esse sibi persuasissent, in *ἀεί* quoque eiectam vocalem *ι* effecisse productionem suppletoriam statuerent? At utut hoc est, ipsam rem recte significasse grammaticos — quod olim Hermannus utique negabat[36], deinde ipse concessit[37] — et ex Aristophanis libro Ravennate, qui paene semper pro volgari scriptura *αἰεί* habet *ἀεί*, et ex adiectivis *ᾱ̓ίδιος*, *ᾱ̓έναος* cognoscimus. Quapropter Porsonus et qui eum secuti sunt, cum *κλαίω*, *καίω* ctt. etiam particulam *αἰεί* e tragoediis Graecis removerunt. At si verum est — quod in hac quidem voce dubitari omnino nequit, — *αἰεί* in antiquioribus litteris Atticis formam fuisse usitatam, eadem quae disputavimus de vocabulis *καίω*, *κλαίω*, *ἐλαία*, huc pertinent: poetas tragicos ex universae poesis paullo elatioris more[38] pro spondeo usurpasse antiquiorem grandiorem formam *αἰεί*, pro iambo *ἀεί*. Quod si consideraveris dimidiam fere partem eorum exemplorum ubi

34) de adverb. p. 600 Bekk.

35) Od. ξ. 203. — 36) Praef. ad Hec. p. 22 sqq.

37) Praef. ad Herc. fur. p. 3 sq.

38) Nusquam apud Pindarum et ceteros poetas *ἀεί* obtinet locum spondei.

legitur *ἀεί*, esse carminum melicorum, quorum tanta est cum poesi lyrica necessitudo, ut Hermannus olim his solis relinquendam censuerit formam poeticam [39]): vix dubitabis etiam ceteros locos admodum paucos ubi *ἀεί* in libris spondei obtinet vim, ad totius poesis Graecae normam revocare et commutare. [40])

Duo huic numero adscribimus nomina in quibus ipsis conspiciatur diphthongus *ᾱι*: *Ἀθηναία*, quod legitur Eum. 288. 299. 614. et *προναία* Eum. 21.

---

39) Praef. ad Herc. F. p. III.

40) Quam facile librarii pro *αἰεί* substituerint *ᾱεί*, luculentissime e Pindari optimis codicibus apparet, ubi non raro eae voces commutantur, ex. c. Ol. 1, 58. 99. Py. 1, 90. 3, 108. 4, 256. — Ceterum, ne prorsus neglegere videamur earum formarum originem: ex scriptura *αἰϜεί* in titulo Crisaeo C. I. n. 1. verisimillimum est hanc particulam cognatam esse cum Romanorum nomine aevum, Gotorum aiv-s, Graecorum *αἰών*. Sunt autem XIV eius vocabuli formae (cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 378):

αἰεί s. *αἰϜεί*, *ἀεί*.

αἰές (Lacon.), *ἀές* (Dor.), *αἰέ* (Lac.), *ἀέ* (Dor.), *αἰή* (Tarentin.).

αἰέν (Dor.), *ἀέν* (Dor.), *αἰιν αἰι ἄιν ἄι* (Aeol.), *ἠί* (Boeot.).

Quae formae si omnes ex una denique profluxerunt stirpe, puram stirpem sine dubio servavit Laconum et Cretensium *αἰές* s. **αἰϜος*, similem illam femininis *αἰδώς* (e stirpe **αἰδος*), *ἠώς* (e st. **ἠος*); cui opinioni nonnihil affert praesidii, quod ab Eustathio p. 501, 26 feminino genere interdum usurpari vocem *αἰών* traditum est et in Bekk. Anecd. p. 363, 17. accusativi brevior forma *αἰῶ* affertur, quae ab Hermanno ingeniose restituta est in Choeph. v. 350 quaeque facillime exsistere poterat ex **αἰόσα*, aegre revocatur ad nominativum *αἰών*. (Cf. Curtii Erlaeuterungen p. 63.) Ex huius stirpis locativo **αἰϜεσι* primum eiecta littera *σ* prodiit *αἰϜεί*, ut e **γένεσ-ι γένει*; contra abiecta vocali *ī* Lacones et Cretenses pronuntiabant **αἰϜές*, *αἰές* (sicut pro **λέγε-σι*, volgo *λέγεις*, pars Doriensium dicebat *λέγες*), denique pro *ς* substitutum est *ν ἐφελκυστικόν*: *αἰϜέν*, *αἰέν*, ut pro *λέγομες* (lat. legimus) plerique loquebantur *λέγομεν*. Ex his autem primis formis *αἰϜεί*, **αἰϜές*, **αἰϜέ*, **αἰϜέν* quomodo ortae sint omnes ceterae, sponte intellegitur. Quo in numero cum pleraeque formae unius dialecti fines nunquam egressae sint, *αἰεί*, *ἀεί*, *αἰέν* inde ab Homeri aetate propter diversae mensurae commoditatem in universam poesim Graecam receptae tragoediae quoque magnopere se commendabant.

Atque *Ἀθηναία* cum ante Euclidem archontem in inscriptionibus Atticis solum regnet,[41]) postea demum commutetur cum *Ἀθηνάα* et *Ἀθηνᾶ*, nemo sane in suspicionem vocaverit eam scripturam. Neque enim constat, num omnino poetarum tragicorum tempore iam exstiterit forma *Ἀθηνάα*, cuius primum, quantum sciam, exemplum invenitur C. I. n. 150, ex ol. 95, 3; neque si exstitit, in hunc locum convenit, quippe quae brevi vocali necessario pronuntietur.[42]) — Ceterum grammatici eiusmodi adiectiva substantivorum locum obtinentia Atticis praeter ceteras dialectos vindicant; cf. Bekk. Anecd. p. 73: *ὡραίαν· τὴν ὥραν· ἡ δὲ τοιαύτη τροπὴ Ἀττικοῖς ἰδία· Ἀθηνᾶ Ἀθηναία, ἴση ἰσαία.* ibid. 22: *ἁλμαίαν· τὴν ἅλμην· ὡς Ἀθηνᾶ Ἀθηναία, πύλη πυλαία, ὥρα ὡραία.* Schol. ad Nub. 614: *Ἀττικῶν ἐστι κτητικὰ λαμβάνειν ἀντὶ πρωτοτύπων, ὡς καὶ παρθενικὴ ἡ παρθένος.*[43]) Nimirum supplenda sunt haec fere substantiva: *Ἀθηναία θεά, Λακωνικὲ ἄνερ, παρθενικὴ νεῆνις* (ut Odyss. *η*, 20), *πυλαία τέχνη, ὡραία ὥρα* (ut Aret. sign. diut. 1, 4, 73), *ἰσαία μοίρα.* Quamquam *Ἀθηναίη* et *παρθενική* iam in Homeri carminibus inveniuntur.

Sed pro *προναία*, Eum. 21, Hermannus, caussa et ratione non adiecta, scripsit *προνάα*. Parum recte, si quid video: aut enim, si sibi constare vellet vir praestantissimus, formam vere Atticam debebat restituere *πρόνοια* aut intactum relinquere proprium deae nomen, quod e **προνᾶια* (cf. *νᾶός*, *νήιον*) prorsus eodem modo prodiit, quo et ex eadem stirpe *περίναιος* et e **κᾶιω καίω*. Sic enim Harpocration: *προναία*, inquit, *Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος·*[44]) *ὠνομάζετό τις παρὰ Δελφοῖς Ἀθηνᾶ προναία διὰ*

41) Cf. Boeckh. Staatsh. d. Ath. II, p. 240.

42) Cf. Theocr. Idyll. XXII, 1.

43) Apud Aristophanem haec habes exempla: *Λακωνικοί* Nub. 186. P. 212. Ecc. 356. *Ἀχαρνικοί* A. 324. *Μεγαρικέ* A. 832. *Ἀθηναία* A. 828. 1653. Eq. 763. P. 271. *Σεληναίη* Nub. 614.

44) p. 69, 2. 14, 18; in libris et hic et alibi, v. c. in Aristog. 780, 17. Paus. 10, 8, 6. est *πρόνοια*.

τὸ πρὸ τοῦ ναοῦ ἱδρῦσθαι. Ταύτην δὲ Ἡρόδοτος ἐν τῇ η′ προνηίην ὀνομάζει.[45]) Addunt alteram glossam Photius et Suidas: πρόνοια Ἀθηνᾶ· οἱ μὲν διὰ τὸ πρὸ τοῦ ναοῦ ἐν Δελφοῖς ἑστάναι αὐτὴν· οἱ δ' ὅτι προὐνόησεν, ὅπως τέκοι ἡ Λητώ. Iam quoniam apud omnes fere scriptores Atticos dea appellata esse videtur πρόνοια, Delphis autem προναίαν coli solitam esse luculentissime apparet e duabus inscriptionibus ab Ernesto Curtio in anecd. Delph. p. 77. et 78. editis, in quibus legitur ΤΑΙΑΘΑΝΑΙΤΑΙΠΡΟΝΑΙΑΙ, iure Dindorfius Athenienses coniecit singularem deae vim et curam sibi fingentes πρόνοιαν in suae linguae consuetudinem induxisse. Aeschylus vero non, ut oratores, id agit, ut volgari consuetudini eam vocem reddat quam accommodatissimam, sed verum ut appellet et proprium deae nomen; huic igitur relinquendum προναία.

§. 7.

λαός, ναός [νηός], Ἴλαος.

Venimus ad aliud verborum genus quod cum certissimo nitatur numerorum firmamento, multo minus arti criticae exhibeat difficultatis: λαός, ναός, Ἴλαος. Habere has formas antiquiores aliquantum propter ipsam vetustatem gravitatis et splendoris, non solum ex Aristophanis usu perspicitur, qui a vocibus cotidianis νεώς, λεώς ctt. non recedit nisi aut in canticis spiritus et magnificentiae plenis aut in sollemnibus quibusdam et ad tragicam maiestatem iocose accedentibus formulis: Eq. 163: τὰς στίχας ὁρᾷς τὰς τῶνδε τῶν λαῶν;[46]) Ran. 219 (cant.): χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος 676 (c.): τὸν πολὺν ὀψομένη λαῶν ὄχλον. Nub. 306 (c.) ναοὶ δ' ὑψερεφεῖς καὶ ἀγάλματα.[47]) Th. 1148 (c.)

45) I, 92. VIII, 37. 39.

46) Cf. Il. Δ. 90: κρατερὰι στίχες ἀσπιστάων Λαῶν.

47) Cf. v. 314: φράσον, τίνες εἴσ', ὦ Σώκρατες, αὗται Αἳ φθεγξάμεναι τοῦτο τὸ σεμνόν; μῶν ἠρῷναι τινές εἰσιν;

ἥκετ᾽ εὔφρονες, ἵλαοι, πότνιαι, ἄλσος ἐς ὑμέτερον,[48]) — sed etiam Sophocles et Euripides templa certe divina et sancta antiquiore ideoque sanctiore nomine *ναός*, quam volgari *νεώς* appellare maluerunt. Legimus igitur *νεώς* semel: Pers. 810; *ναός* semel apud Aeschylum olim exstabat: fr. 168. H., ubi ingeniose Dobraeus et Hermannus emendarunt *ἄνοις*; innumerabilibus autem in versibus Sophoclis et Euripidis. Similiter *λαός* et substantivi *ναῦς* genetivus *ναός* tam saepe et in diverbiis et in melicis partibus usurpantur, ut iam ex hac re facile colligas natura quasi eas formas adeo decere tragoediae gravitatem, ut in singulis singulare quoddam consilium et subtilius inter vocabula *ναός* et *νεώς*, *λαός* et *λεώς* discrimen cerni nullo pacto queat. Denique vox *ἵλαος*, quae omnino haud ita frequens est in poesi Attica, apud poetas tragicos non invenitur nisi in canticis: Aesch. Eum. 1040. Soph. OC. 1480.

At mirabitur fortasse quispiam, quid sit quod non hic quoque Ionica potius forma *νηός*, *νηῶν* antiquiores Atticorum litteras occupaverit; quamobrem nonnunquam has formas in Dorismo quem dicunt, numerare solent. At vero longe alia est ratio verborum *καίω*, *ἐλαία* ctt. quae tractavimus §. 5, alia horum vocabulorum. Illa enim ex Ionia in litteras Atticas migraverunt: haec in ipsa Atticorum lingua ceteris formis *λεώς*, *νεώς*, aetate antecesserunt; nihil autem ab huius gentis lingua magis abhorret coniunctione litterarum $\overline{\eta o}$; haec fuit caussa cur non requiescerent in Ionica genetivi forma *οἰκῆος* a nominativo *οἰκεύς* deducta (quam ipsam olim Atticam fuisse certissimum est,[49]) sed vocalium mensura transposita pronuntiarent *οἰκέως*; haec res effecit,

48) Thesm. 39. *εὔφημος πᾶς ἔστω λαός* cum mera sit imitatio Euripidis, qui Hec. 532. *σῖγα*, inquit, *πᾶς ἔστω λεώς*, | *σίγα σιώπα*, cumque in eadem formula Eccl. 39. etiam *λεώς* repetatur, recte Bergkius scripsisse videtur *λεώς*.

49) Lysias scilicet in orat. in Theomnestum §. 19. (Reisk. p. 361) e Solonis legibus haec excitat et quasi iam peregrina facta explicat: *οἰκῆος καὶ δούλης τὴν βλάβην εἶναι ὀφείλειν*.

ut nominum in ις exeuntium genetivos πόληος ctt. commutarent cum πόλεως; haec denique prohibuit ne unquam λαός, ναός formas inde ab antiquissimis temporibus traditas debilitarent in ληός, νηός, sed aut intactas et integras relinquerent aut statim converterent in λεώς, νεώς. Errant enim, qui inter $\overline{\alpha o}$ et $\overline{\varepsilon\omega}$ necessario interpositam esse opinantur mediam quandam formam $\overline{\eta o}$; immo α, quod cum accentu non acueretur, non ita distincte et accurate a sequenti vocali o pronuntiando discerni poterat, uno et eodem tempore vocem in vocali o diutius subsistere itaque eam vocalem sponte producere iussit, ipsum statim correptum et ut ε pronuntiari coeptum est.[50]) Quod ni esset, quo tandem pacto contigit ut Homerus diceret et Ἀγέλαος[51]) et Ἀγέλεως,[52]) nusquam diceret ληός, Ἄγελης? quî evenit ut idem et ἱκέταο[53]) et ἱκέτεω[54]) usurparet, nunquam in ulla dialecto exiret genetivus in $\overline{\eta o}$? Ceterum ex illis Homeri exemplis, quae e maiore multitudine excerpsimus, apparet non ab Atticis, ut veteres docent, inventam esse eam mensurae conversionem, sed antiquitus traditam et ita ab Atheniensibus praeter ceteras dialectos servatam, ut voces ναός, λαος grandiorem decerent et digniorem orationem, legum inprimis ut videtur, reliquarumque formularum; commodiora vocabula νεώς, λεώς volgarî tererentur sermone ideoque aliquanto demum post litterarum in usum reciperentur.[55])

Iam quid statuendum sit de tertio formarum genere quod passim in poetarum tragicorum codicibus occurrit: νηός, νηῶν, sponte intellegitur. In Atticis scilicet formis

---

50) Similiter e pluralis genetivo in άων effloruit έων; quae terminatio etiam apud Aristophanem occurrit: Nub. 401. καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνέων; Thesm. 329. ἐκκλησιάσαιμεν Ἀθηνέων εὐγενεῖς γυναῖκες; alter scilicet locus spectat ad Od. γ, 278, alter est cantici.

51) χ. 212. 241. — 52) χ. 131. 247. — 53) Φ. 75. — 54) Ω. 158. 187.

55) Archilocho nondum suppeditasse formam ἴλεως, i. e. a poesis elegantia eam tum usque alienam fuisse, Rennerus l. c. p. 219. bene docuit.

antiquioribus *ναός, ναῶν* si haud paullum, ut modo demonstravimus, inerat splendoris et gravitatis, nihil erat cur decurrerent ad voces mere Ionicas, nisi si singularis quaedam accederet epicae poesis species ac similitudo. Haec autem quoniam plane abest a paucis eis versibus, ubi eiusmodi voces inveniuntur: Aesch. Pers. 19 (anap.): *οἱ μὲν ἐφ᾽ ἵπ-πων, οἱ δ᾽ ἐπὶ νηῶν,*[56]) Sept. 62: *σὺ δ᾽ ὥρτε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος*, qui versus paullo immutatus legitur apud Eur. Med. 523: *ἀλλ᾽ ὥρτε νηὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος*; Soph. fr. 699: *ναῦται δ᾽ ἐμηρύσαντο νηὸς ἰσχάδα*; Eur. Iph. Taur. 1485: *νηῶν τ᾽ ἐρετμά, σοὶ τάδ᾽ ὡς δοκεῖ, θεά*: non dubito librariis potius, quam poetis genetivos Ionicos tribuere; dativum vero *νηυσίν* qui in cod. M. est Pers. 370., summo iure tacite editores removerunt; neque enim cur in illum locum conveniat forma Ionica perspicitur, et diphthongus *ηυ* in hac voce prorsus inaudita est apud Atticos.

Aliter, ut hoc statim adiciam, comparatae sunt eae formae ubi vocalem *α* non sequitur *ο* vel *ω*, sed *α, ε, ι*: *νηί, νῆα, νῆες, νῆας*, in quibus nihil obstabat quominus in Attica quoque dialecto vocalis *α* transiret in *η*. Quo factum est, ut *νηί, νῆες* usurparentur in sermone cotidiano, *νῆα* et *νῆας*, etsi alterum formarum genus *ναῦ-ν* et *ναῦ-ς* legitimo usu receptum est, non prorsus spernerentur, sed eo facilius in litteris aliquantum haberent auctoritatis, quod formis dativi singularis et nominativi pluralis *νηί* et *νῆες* optime respondebant. Quapropter quae leguntur in Aeschyli et Euripidis canticis: Supp. 744: *δοριπαγεῖς δ᾽ ἔχοντες κυα-νώπιδας | νῆας ἔπλευσαν ὧδ᾽ ἐπιτυχεῖ κότῳ*, Iph. Aul. 254: *πεντήκοντα νῆας εἰδόμαν*, ea non tam formis epicis adscripserim, quam antiquioribus Atticis, praesertim cum prorsus similes voces abunde suppeditent; habes enim apud Thucydidem *νηίτης*, habes in inscriptionibus Atticis[57])

56) Contra v. 39 recte traditum est *καὶ ἑλειοβάται ναῶν ἐρέται.*
57) Cf. Rennerum l. c. p. 166.

προνήιον, habes in antiquiore lingua *λήιτος*[58]) profectum illud ex *λαός*; e quo postea descendit *ληιτουργός*, *λειτουργός*.[59]) Vides igitur Atticum esse *νῆας*, Atticum *ναός*, sed abhorrere ab hac dialecto *νάιος*, quod in diverbiis nonnunquam legitur. Hoc igitur numerabimus et explicabimus in formis Doricis.

§. 8.

De vocibus *κλῄς*, *κλῄω* [*κλείς*, *κλείω*] similibus, terminationibus *ῆς* [*εῖς*], *η* [*ειν*], *ῄ* [*ει*].

Optime in vocabulis *κλῄς*, *κλῇθρον*, *κλῄω* ctt., in quibus utrum rectius scriberetur *η* an *ει*, multum disceptatum est, librorum manu scriptorum ambiguitatem compensavit et correxit grammaticorum certissima fides. Atque in codicibus quidem habemus:

κλῄς Aesch. Eum. 827. fr. H. 378. Soph. Oed. C. 1052. Tr. 1035. Eur. Bac. 448. Med. 1314. Tr. 493.

---

58) Cf. Et. M. p. 562. Moer. p. 252.

59) In his quoque vocabulis olim fuerat digamma. Ac de nominum *λαός* et *ναῦς* origine cf. Curt. Grundz. p. 325. et 281. Aedis autem nomen *ναός*, cuius digamma conspicitur in forma Aeolica *ναῦος*, tam prope et forma et significatione accedit ad verbum *ναίω*, i. e. *νάσ-jω* (cf. aor. *ἐνάσθην*), ut primam fuisse eius nominis formam *νασ-Fός* facile mihi persuaserim. Similiter sibilans ante spirantem eiecta est in genetivis *Αἰδα-ο* ctt., qui orti sunt ex *Αἰδα-σjο*, *Αἰδα-jο*.

Fortasse etiam in adiectivo *ἴλαος* evanuit digamma. Radix enim huius vocabuli esse mihi videtur *is* (cf. Grundz. p. 359) quae continetur nomine *ἵμερος*, i. e. *ἰσ-μα-ρος*, cuiusque notio optandi, cupiendi, quam facile transire potuerit in benevolentiae significationem, vel Latini verbi cupiendi ostendit vis ac potestas quam obtinet in locutione „*cupere alicui*“; ergo e radice *is* descendit adiectivum quoddam **ἰσ-λός*, cuius ampliores formae sunt **ἴσ-λα-Fος*, *ἴλᾱος*, *ἵλᾰος*, ubi semper mansit longa vocalis *ᾱ* mensura, et *ἑ-λα-ρός*, cuius *ᾱ* paullatim correptum est (quemadmodum vox *ἶσος*, i. e. **FίσFος* ab Atticis pronuntiabatur *ἴσος*). Bene cum hac explicatione congruit Aeolum *ἴλλαθι*; quae vero traditur altera forma *ἕλλαθι*, eam nullam esse Ahrensius (de dial. Aeol. 58) mihi probavit.

κλήω Aesch. Pers. 723. Sup. 956. Soph. fr. 635. Eur. Bac. 653. Hel. 977. Herc. F. 997. Rh. 304. Ph. 865.

ἐγκλήω Soph. Ant. 501.

κλῆθρον Aesch. Sept. 396. Soph. OR. 1287.[60]) 1294. Ant. 1186. Eur. Hel. 860. 1180. Herc. F. 332. 1029. Hip. 577. Iph. A. 149. 345. Iph. T. 99. 1304. Or. 1366. 1551. Ph. 114. 261.

κληδοῦχος Aesch. Sup. 291. Eur. Hip. 541. Iph. T. 131.

κληδουχεῖν Herc. F. 1288. Iph. T. 1463.

Contra diphthongus ει legitur in his versibus:

κλείω And. 502.

ἐγκλείω Hec. 1284.

ἀποκλείω Oed. R. 1388.

κλεῖθρον Soph. Oed. R. 1262. fr. 673. Eur. And. 951. Hel. 288. Hip. 808. Or. 1567. 1571. Ph. 64. 1058. fr. Er. II, 20.

Iam cum tanta sit librorum inconstantia cumque non verisimile videatur poetas vocabula haud ita augusta modo sic, modo aliter scripsisse sine certo quodam consilio, non mediocris momenti sunt, quae apud Photium ex optimo sine dubio antiquitatis fonte traduntur p. 168, 13: *κλῆσαι οἱ ἀρχαῖοι λέγουσιν, οὐ κλεῖσαι, καὶ κλῆδα· οὕτω καὶ οἱ τραγικοὶ καὶ Θουκυδίδης*, et in Crameri anecd. Oxon. 1, p. 224, 23: *κλείω. τοῦτο οἱ τραγικοὶ κλήω λέγουσιν· καὶ οἱ πεζολόγοι διὰ τοῦ η· καὶ Θουκυδίδης.*[61]) His igitur testimoniis multo plus tribuendum esse quam librariis, qui ut saepe suam scribendi consuetudinem in antiquorum verba intulerunt, quivis videt. Ergo hac quoque in re poetae tragici veterem rationem, quam recentiorum Atticorum morem sequi maluerunt; est enim hic diversarum formarum ordo et usus: prima forma *κληFής* (lat. clavis), digammate eliso pronuntiari coepta est *κλῆς* (qua voce et Homerus utitur et Euripides antiquioris ille speciei praeter ceteros

60) M. *κλεῖθρον*; sed schol. legit *η*.

61) Adde Cram. anecd. 226, 6 *οἱ Ἴωνες κλήω διὰ τοῦ η· καὶ Θουκυδίδης καὶ τραγικοί.*

amator), et vocali correpta κληΐς; ex hac demum voce simul ita profluxerunt et κλῄς et κλεῖς, κλείς, ut in litterarum quidem usu κλείς recentissima forma ante Euclidis aetatem latius patuisse non videatur.[62]) Similiter vero comparata esse κλήω, κλῆθρον, κληδοῖχος non est quod demonstremus.

Prorsus idem evenit in substantivorum in -ευς nominativis pluralis, qui cum in fabularum manu scriptis raro scribantur -ῆς — inveni βασιλῆς Ai. 188. 390. βρα-βῆς El. 690. 709. Φωκῆς El. 1107. ἱππῆς Eur. Sup. 666. ἀριστῆς Eur. Phoen. 1226. — multo saepius -εῖς, non solum e Gregorii Cor. praecepto, qui p. 99. Τὰς ἀπὸ τῶν εἰς ευς, inquit, εἰς εις πληθυντικὰς εὐθείας διὰ τοῦ ῑ γράφουσιν, ἱππῆς, βασιλῆς, Πλαταιῆς, sed e Thucydidis, Platonis, Aristophanis libris plane cognoscimus nominativos in ῆς illa aetate solos litterarum in usu fuisse, quapropter recentiores formas a poetis tragicis prorsus abiudicare nequaquam dubitamus. Ut e κληϜίς manarunt κλῄς et κλεΐς, κλείς, sic e βασιλῆες, i. e. βασιλέϜ-ες, aut per contractionem βασιλῆς aut vocali η correpta βασιλέες, βασιλεῖς. Apparet igitur nihil esse perversius quam scripturam ῆς, quae ea litterarum Graecarum aetate, ubi ῆς ex εῖς productione satis mira natum esse credebatur, nonnullis viris doctis, ut Brunckio, probabatur, commendata illa grammaticorum quorundam erroribus, velut Eustathii, qui ad Il. p. 50, 18. sic eam rem explicat: ἔθος τοῖς Ἀττικοῖς πολλάκις τὴν διὰ τοῦ ε καὶ ι δίφθογγον διὰ τοῦ η καὶ ι προάγειν, καὶ οὐ μόνον ἐν τῷ ἱερῆς καὶ βασιλῆς καὶ ἱππῆς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ῥημάτων.

Etiam terminationis ées, quae aetate sine dubio fere aequalis est alteri ῆς, pauca inveniuntur vestigia et apud Platonem Theaet. 169ᵇ Θησέες et apud Aeschylum Pers. 63:

62) Plane hunc ordinem convertunt veteres grammatici, utpote qui e formis volgaribus perperam ceteras studeant deducere; sic Greg. Cor. p. 100: τρέπουσι δὲ, inquit, τῆς ει διφθόγγου ἐν πολλοῖς τὸ ε εἰς η — οἷον κλεῖδα, κλεΐδα, κληίδα.

τοκέες τ᾽ ἄλοχοί θ᾽ ἡμερολεγδόν in anapaestis, quos numeros quantopere adiuvet et expediat forma soluta, sponte perspicitur.[63]) Sed terminationem *-ῆες*, quae ipsa nonnunquam in codicibus occurrit metro plerumque repugnante, recte nunc editores commutant aut cum *-έες*: Pers. 580: *τοκέες τ᾽ ἄπαιδες*, aut cum *-ῆς*: Ai. 959: *ξύν τε διπλοῖ βασιλῆς*; quippe quae forma illo tempore, ubi iam in *-ῆς* et *-έες* antiquitatis quaedam species et gravitas cernebatur, aeque obsoleta fuerit atque genetivi terminatio *-ῆος*, cuius praeter Solonis illa verba a Lysia excitata[64]) nullum in litteris Atticis reperitur vestigium ante Euripidem, quem non tam quid ipsa orationis natura et progressus postularet, subtili et liquido iudicio elegisse, quam quaesita quadam arte reconditissima quaeque congessisse iam veteres bene intellexerunt;[65]) apud hunc igitur in Iph. T. v. 436. legimus *λευκὰν ἀκτάν, Ἀχιλῆος | δρόμους καλλισταδίους*.[66])

In verborum plusquamperfectis duplicem libri habent terminationem: *η* et *ειν*, in persona I; legimus enim

ᾔδη Ant. 18.[67]) Oed. R. 433.[68]) El. 1115. Eur. Hip. 404. Rh. 952.

ᾔδειν Ant. 448. 1185. OC. 948. Eur. Cyc. 649. Tr. 655.

Atque posteriores quidem locos si consideramus:

Ant. 448: *ᾔδειν· τί δ᾽ οὐκ ἔμελλον; ἐμφανῆ γὰρ ἦν.*
El. 1185: *ὡς οὐκ ἄρ᾽ ᾔδειν τῶν ἐμῶν οὐδὲν κακῶν.*
OC. 948: *ἐγὼ ξυνᾔδειν χθόνιον ὄνθ᾽ ὃς οὐκ ἐᾷ.*
Cy. 649: *πάλαι μὲν ᾔδειν σ᾽ ὄντα τοιοῦτον φύσει.*
Tr. 655: *παρεῖχον· ᾔδειν δ᾽ ἁμὲ χρῆν νικᾶν πόσιν —*

---

63) Aperte falsum est *ἀολλέες* Philoct. 1469: *χωρῶμεν δὴ πάντες ἀολλέες*.

64) Cf. not. 49. — 65) Cf. §. 2. p. 198.

66) Iph. A. 1056. ipsa numerorum ratio pro *πεντήκοντα κόραι Νηρῆος* substitui iussit *Νηρέως*, quod post Seidlerum omnes receperunt editores.

67) Laur. A. habet *ᾔδειν*, sed *ᾔδη* legisse scholiastam manifestum est ex eius glossa: *ἀντὶ τοῦ ᾔδεα*.

68) In Laur. A legitur *ᾔιδει* superscripto *ν*.

mirum est ubique in locum vocis ἤδειν, quippe quae nunquam posita sit ante vocalem, licere alteram formam ἤδη substituere; certissime autem utra sit praeferenda intellegimus e veterum grammaticorum testimoniis, qui in antiquioris linguae usu solum plusquamperfectum in η fuisse diserte explanateque docent. Sic enim Eustathius 1946, 22: *παραδίδωσι γὰρ* inquit *Ἡρακλείδης ὅτι Ἀττικοὶ τοὺς τοιούτους ὑπερσυντελικοὺς ἐν τῷ ἦτα μόνῳ περατοῦσιν, ἤδη λέγοντες καὶ ἐνενοήκη καὶ ἐπεποιήκη. καὶ οὕτω φησὶ Παναίτιος ἔχειν τὰς γραφὰς παρὰ Πλάτωνι· καὶ Θουκυδίδης δὲ κέχρηται τῷ τοιούτῳ Ἀττικῷ ἔθει.*[69]) Quae certissima auctoritas utique vincere debet librorum ambiguitatem, praesertim cum optime ea lex congruat non solum cum Aristophanis, Thucydidis, Platonis consuetudine, sed cum ipsa illarum formarum origine. Etenim quoniam plusquamperfecti formae compositae sunt e perfecti stirpe et radicis ἐς, quae inest in verbo substantivo εἰμί, imperfecto ἔσ-α (cf. lat. er-am), fieri non potuit quin antiquissimae formae quales exstant cum in universa dialecto Ionica[70]) tum in Homeri carminibus: ἐ-τεθήπ-εα Od. ζ 167. ἐ-πεπήγ-εα (lat. pe-pig-eram) more legitimo contraherentur in ἐτεθήπη, ἐπεπήγη. Porro consentaneum est alterius personae terminationem esse εας, ης. Quamquam huius personae unum tantummodo exstat apud poetas tragicos exemplum:

Ant. 447: ἤδης τὰ κηρυχθέντα μὴ πράσσειν τάδε; ubi in La. est ἤδεις. — In tertia denique persona, quae proprie exibat in εε et εεν, deinde his vocalibus contractis in ει et ειν,[71]) poetae Homeri insistentes vesti-

69) Cf. praeterea Moer. p. 173. Et. M. 419, 10. 28.

70) Cf. Apollon. Dysc. de adv.: *τὸ ἤδειν παρ' Ἴωσιν λεγόμενον ἤδεα, ἐπεποιήκειν ἐπεποιήκεα, καὶ πάντα τὰ τούτοις ὅμοια.*

71) Cf. Greg. Cor. p. 121: *καὶ τὸ ἤδειν ἀντὶ τοῦ ἤδει, καὶ ἐτετύφειν ἀντὶ τοῦ ἐτετύφει Ἀττικόν· χρῶνται γὰρ ἐπὶ τῶν ὑπερσυντελικῶν τοῖς πρώτοις προσώποις ἀντὶ τῶν τρίτων.*

giis [72]) solius metri ratione habita *ει* collocant ante consonas, *ειν* ante vocales: [73])

Philoct. 1010: *ὃς οὐδὲν ᾔδει πλὴν τὸ προσταχθὲν ποιεῖν.*

Ion. 1361: *ᾔδει δὲ θνητῶν οὔτις ἀνθρώπων τάδε.*

Ion. 1187: *κοὐδεὶς τάδ' ᾔδειν· ἐν χεροῖν ἔχοντι δέ..*

Quae praeterea in uno Sophoclis versu invenitur, et ne hoc quidem satis tuta, tertia persona *ᾔδη*, OR. 1525, ubi in cod. La. scriptum est *ᾔιδῃ*, ea in dialecto Dorica usitata et legitima est, in Homeri carminibus Aristarcho sane probata, [74]) a vetustioribus Atticis utique aliena — vix ullum enim eius formae reperias certum exemplum —, a recentioribus, apud quos ita scribi Choeroboscus [75]) testatur, fortasse ad reliquarum formarum *ᾔδη*, *ᾔδης* similitudinem iterum ficta. Prorsus vero perversa est Elmsleyi opinio, [76]) neque *ᾔδει* neque *ᾔδειν* neque *ᾔδη*, sed adiecto *ν ἐφελκυστικῷ* *ᾔδην* scribendum videri, quae coniectura plane nulla nititur aut codicum aut grammaticorum aut certae analogiae auctoritate.

Sed quam caute ac circumspecte his in rebus adhibenda sint ea grammaticorum testimonia quae non aperte ad poetarum tragicorum vel certe ad antiquiorum scriptorum orationem pertineant, manifestum est in indicativi medii altera persona; quae in codicibus ita tantum non semper exit in *η*, ut in suspicionem ea scriptura vocari vix possit, nisi gravissimam movissent dubitationem, quae tradidit Greg. Cor. p. 118: *Ἀττικῶς*, inquit, *ἐκφέρεται διὰ τῆς ει διφθόγγου τῶν παθητικῶν ὁριστικῶν τὰ δεύτερα πρόσωπα, ὡς τὸ „ζηλωτὸς ἔσει" ἀντὶ τοῦ ἔσῃ.* [77])

---

72) Cf. Il. *Ψ* 691: *Ἑστήκειν· αὐτοῦ γὰρ ὑπήρπε φαίδιμα γυῖα.*

73) Tertiae personae formae *ᾔδει* et *ᾔδειν* caussa fuisse videntur, cur etiam in ceteris personis paullatim existeret diphthongus *ει*.

74) Eust. p. 419, 24.

75) Choerob. 1287: *τὸ ᾔδη ἐγώ τῆς παλαιᾶς Ἀτθίδος ἐστί, τὸ δὲ ᾔδη ἐκεῖνος τῆς νέας Ἀτθίδος ἐστίν.*

76) ad Acharn. 35.

77) Adde Eust. 1723, 20. Suid. s. v. *ἅπτεσθαι*. Schol. ad Aristoph. Ran. 40.

Ac profecto in comoediae usum eam terminationem cecidisse ex Aristophanis cod. Rav. intellegimus in quo saepenumero ita scriptum est. Quapropter primus Brunckius Dawesii auctoritatem secutus in medii futuris revocavit diphthongum: φανεῖ ctt.; praesentia addidit Porsonus. At unde petita sunt ista grammaticorum praecepta? A comicis poetis exempla sua se sumpsisse aperte profitentur Eustathius [78]) et Choeroboscus, cuius verba postea adscripturi sumus; ab oratoribus proficiscitur, nisi fallor, Gregorius; haec enim in Isocratis or. V. (Philipp.) §. 69. (Steph. p. 96 A) legimus: „οὐ γὰρ μόνον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἕσει ζηλωτός, ἀλλὰ καὶ σὺ σαυτὸν μακαριεῖς." Aliam autem esse comicorum et oratorum orationem, aliam tragicorum, iterum iterumque cognovimus. Quod vero Porsonus [79]) ad grammaticorum fidem confirmandam adiecit: duarum formarum optionem si Attici habuissent, quid potius eos agere debuisse quam ut diversis contractionis rationibus adhibitis indicativum discernerent a coniunctivo, alteri tribuentes ει, η alteri, id a linguae legibus plane abhorret. Neque enim pro accuratissima illa sententiarum Graecarum structura unquam confundi poterant indicativus et coniunctivus, neque adeo anxie vitatur duarum formarum similitudo — ut in his ipsis temporibus verba in -άω utique scribuntur τιμᾷ ctt. sive indicativo opus est sive coniunctivo; — neque omnino, idque summum est, libera illa optio erat quam fingit Porsonus. Non verum est, quod illi statuunt, recentissimis demum saeculis per errorem quendam pro ει substitutum esse η, sed e prima forma τύπτε-αι, i. e. τύπτε-σαι necessario factum est τύπτηι (quod iam in Homeri carminibus interdum occurrit); e τύπτηι demum, sive τύπτῃ, correpta vocali natum est τύπτει, sicut e κλῄς κλείς. Antiquiorem ergo hac quoque in re servaverunt formam poetae tragici, recentiorem utpote in sermone cotidiano usitatam adsci-

78) l. c. ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ κωμικοῦ πέφηνεν.
79) Praef. ad Hecub. p. 4.

verunt oratores et poetae comici. Recentissima denique aetate cum multa alia, v. c. *ἐλαία, ναός*, tum terminationem *ῃ* ab antiquissimis scriptoribus recuperaverunt ac redintegrarunt, *ει* non reliquerunt nisi in tribus verbis: *βούλει, οἴει, ὄψει*.

Restat ut breviter commemoremus Choerobosci praeceptum, quod quoniam non prorsus integrum est, pro nostra sententia afferre noluimus. Legimus in Bekk. Anecd. III, p. 1290. haec: *οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ἐπὶ τῶν βαρυτόνων καὶ ἐπὶ τῆς πρώτης συζυγίας τῶν περισπωμένων τὸ τρίτον πρόσωπον τοῦ ἐνεργητικοῦ ἐνεστῶτος δεύτερον ποιοῦσι παθητικόν, οἷον τύπτω τύπτεις τύπτει τύπτομαι τύπτει Ἀττικῶς διὰ τῆς ῑ διφθόγγου· καὶ πάλιν ὡς ἀπὸ τοῦ βούλω βούλεις βούλει γίνεται βούλομαι βούλει Ἀττικῶς διὰ τῆς ῑ διφθόγγου, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ·*

βούλει Κνήμων εἰπέ μοι.

καὶ πάλιν ποιῶ ποιεῖς ποιεῖ ποιοῦμαι ποιεῖ Ἀττικῶς διὰ τῆς ῑ διφθόγγου· πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν· ἀλλὰ ἀκολουθοῦσι καὶ οἱ πεζολόγοι· ἐπεὶ οἱ τραγικοὶ τοῦτο οὐ ποιοῦσιν, ἀλλ' ἀκολουθοῦσι τοῖς κοινοῖς. Verba *πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν: ἀλλὰ ἀκολουθοῦσι καὶ οἱ πεζολόγοι*, quoniam sic a scriptore profecta esse non possunt, Reisigius [80]) hac fretus occasione medela sane gravissima efficere studuit ut illa non solum inter se melius cohaererent, sed cum ceteris grammaticorum praeceptis ab omni parte congruerent: lacuna nimirum interposita inter *τοῦτο ποιοῦσιν* et *ἀλλὰ ἀκολουθοῦσι* extremam paragraphum contendit non pertinere ad hoc praeceptum, sed ad aliam quamlibet rem, quam exponi desitam esse opinatur his fortasse verbis: *οὐ μόνον οἱ κωμικοὶ τοῦτο ποιοῦσιν, ἀλλὰ ἀκολουθοῦσι καὶ οἱ πεζολόγοι* ctt. At quis ad extremum lacunae remedium decurrerit, si ulla relinquitur lenioris emendationis

80) Praef. ad Oed. Col. p. 22.

spes? Melius sane, opinor, et librorum scripturae et scriptoris sententiae consulemus si pro *πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι* scribemus *πάντως δὲ οἱ κωμικοί*; sic et Choerobosci oratio bene procedit: „*τύπτει non solum poetae comici dicunt — etsi horum praeter ceteros ea lex est — sed etiam prosae scriptores: una ars tragica aliam sequitur rationem*“ neque reliqui grammatici pugnant; hi enim, qui mos est Atticistarum, ab Aristophane et oratoribus Atticismi normam petunt; ille idem facit, sed unam adiungit exceptionem. At hoc quidem utut est, recentiorem et volgarem terminationem $\bar{\varepsilon\iota}$ contra omnem librorum auctoritatem poetis tragicis propter ea obtrudendam esse grammaticorum praecepta quae de universa dialecto Attica, comicorum inprimis et oratorum, dicta sint, non disertis et expressis verbis tragicorum spectare consuetudinem significentur, pernego.

§. 9.

De singulis quibusdam nominum et verborum formis: *-οισι*, *-αισι* [*-ῃσι*]; *-ατο*.

Terminationum *οισιν* et *αισιν* usus tam frequens et notus est cum apud omnes poetas Graecos tum in Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulis, ut de his copiosius disserere nullo modo opus sit. Multum nimirum numerorum elegantiam adiuvit breviorum et longiorum formarum varietas, quae illa aetate etsi in ipso vitae cotidianae usu dudum exstinctae erant, a Platone poetarum illo multis in rebus imitatore interdum usurpabantur, in inscriptionibus usque ad Euclidem archontem scribi solitae sunt.[81] Sed ob eam ipsam rem, quod vel in his terminationibus antiquitatis quaedam species et gravitas cernebatur, formam etiam vetustiorem *ῃσιν* in fabulis Atticis nisi in sententiis epici coloris ac splendoris plenis non feremus. Nam etsi minime ignoramus, hanc quoque formam pro artissima illa

81) Vide Renner l. c. p. 211 sq.

quam supra exposuimus cum dialecto Ionica necessitudine in inscriptionibus Atticis interdum occurrere, v. c. C. I. I. 71, col. 6. 5—10: *τοῖσι μύστῃσιν καὶ τοῖς ἐπόπτῃσιν* ctt.:[82]) apud poetas certe epica quadam eam splendere vi ac specie locupletissimus est testis Aristophanes, qui quotiescunque terminatione *ῃσιν* utitur, vaticinia utique vatumque gravitatem imitatur: Equit. 197—200:

> *Ἀλλ' ὁπόταν μάρψῃ βυρσαίετος ἀγκυλοχήλης*
> *γαμφηλῇσι*[83]) *δράκοντα κοάλεμον αἱματοπώτην,*
> *δὴ τότε Παφλαγόνων μὲν ἀπόλλυται ἡ σκοροδάλμη,*
> *κοιλιοπώλῃσιν δὲ θεὸς μέγα κῦδος ὀπάζει.*

Av. 867: (*εὔχεσθε*) *ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν.*
Av. 978: *αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι...*
P. 1064: *οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἄϊοντες...*

Num igitur veri simile est sine certo quodam consilio formam vetustissimam a poetis tragicis adhibitam esse? Iam in his Aeschyli Sophoclis Euripidis versibus libri optimi habent *ῃσιν*:

Aesch. Prom. 727: *ἐχθρόξενος ναύτῃσι, μητρυιὰ νεῶν.*[84])
Sept. 460: *πύλαισι Νηΐστῃσι προσβαλεῖν λόχον.*
Sept. 603: *ναύτῃσι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινί.*
Pers. 189: *τεύχειν ἐν ἀλλήλῃσι. παῖς δ' ἐμὸς μαθών* ctt.[85])
Ag. 654: *ναῦς γὰρ πρὸς ἀλλήλῃσι Θρῄκιαι πνοαὶ | ἤρεικον.*
Choeph. 569: *τί δὴ πύλῃσι τὸν ἱκέτην ἀπείργεται;*
Eumen. 706: *οὔτ' ἐν Σκύθῃσιν οὔτε Πέλοπος ἐν τόποις.*
Soph. El. 1141: *ἀλλ' ἐν ξένῃσι χερσὶ κηδευθεὶς τάλας.*

---

82) Cf. Renner l. c. p. 164 sq.

83) Cf. Il. *N*. 200: *μετὰ γαμφηλῇσιν ἔχοντα.*

84) Eust. p. 560, 19. tradidit *ναύταισιν*. Ceterum quod v. 6. M. habet: *ἀδαμαντίναις πέδῃσιν ἐν ἀρρήκτοις πέτραις*, aperte falsum est.

85) Pers. 460. ubi volgo legebatur *πέτρῃσι*, in M. est *πέτροισι*. Omnino quam saepe a librariis propter soni similitudinem confundantur *αισι*, *οισι*, notum est.

fr. 499: *λεπτῆς ἐπὶ ῥοπῇσιν ἐμπολὰς μακρᾶς.*[86])

Phil. 1457 (anap.): *κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγῇσι νότου (ἐτέγχθη).*

Ant. 589 (cant.): *δυσπνόοις ὅταν | Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς.*

Ant. 984 (c.): *τράφῃ Θυέλλῃσιν ἐν πατρῴαις | Βορέας.*

fr. 795 (c.): *Βουθοίᾳ Δρίλωνος ἐπὶ προχοῇσιν ἐνάσθη.*

Eur. Tr. 1117 (c.): *μέλεα πάθεα *τρωῇσιν*, Musgr. *ῥοῇσιν.*

Haec si consideraveris, iure primum miraberis quid sit quod quaesitior illa et magnificentior forma in nullo legatur Aeschyli cantico, apud Euripidem reconditae antiquitatis amatore non inveniatur nisi in uno versu eoque aperte corrupto? Tum autem in omnibus eis locis quos exscripsi quidnam insit sive artis epicae simile sive singularis consilii plenum prorsus non assequor. Nam simpliciter in plerisque et tranquille procedit diverbii oratio; cantica vero Sophoclis summo sane nitent splendore et spiritu, sed lyrico illo et ad sollemnem Pindari maiestatem multo propius accedenti quam ad epicam poesim; Pindarus autem quamvis multis carmina sua illustret vocabulis vocabulorumque formis mere Ionicis, nusquam utitur dativis in *ῃσιν* exeuntibus.

Accedit quod mirum quantum hac ipsa in re peccavit librariorum sive incuria e recentiorum temporum pronuntiatione qua $\overline{\epsilon\iota}$, $\overline{\alpha\iota}$, $\overline{o\iota}$, $\overline{\eta}$ non multum discrepare solebant, orta, sive nimis diligens formarum Homericarum imitatio; saepissime profecto praeter eos locos quos attulimus in nonnullis codicibus inveniuntur *σμερδνῇσι*,[87]) *ῥίζῃσιν*,[88]) *ζεύγλῃσι*,[89]) *ἄλλῃσι*,[90]) *δεσποσύνῃσι*,[91]) ctt.; ut omittamus

86) Meinekius et Dindorfius recte emendaverunt *ἐπὶ ῥιπῖσιν.* — Pro *λεπτῆς* omnes ut par est restituunt *λεπταῖς.*

87) Prom. 355. apud Eust. p. 579, 20.

88) Prom. 365. G. Lips. 1.

89) Ibid. 463. Lips.

90) Ibid. 774. Vit. Vind. 3.

91) Pers. 587. Vit.

quam facile in illis quoque locis plerumque explicetur error e litterarum antecedentium vel sequentium natura (v. c. *Νηίστῃσι, ἀλλήλῃσι, πλῃγῇσι, Θρῄσσῃσιν*). — Quae cum ita sint, similiter iudicamus de terminatione *ῃσιν* atque §. 7. iudicavimus de genetivo *νηός*: poetas tragicos in una requievisse forma antiquiore ideoque graviore: *-αισι, ναός*, vetustiorem ac paene oblitteratam *ῃσι, νηός* vitasse.[92])

In verborum optativis terminationem *-ατο* (quam non ad loquendi facultatem expediendam e *-ντο* factam sed ex *-αντο* natam esse nunc quidem constat) secundum solam metri commoditatem substitui pro volgari terminatione *-ντο*, nullo singulari consilio ac vi, sponte ex Aeschyli et Sophoclis exemplis, in quibus admodum pauca aliquantum habent ponderis et dignitatis, apparebit:

Sept. 552: *ἦ τἂν πανώλεις παγκακῶς τ᾽ ὀλοίατο.*

Pers. 360: *δρασμῷ κρυφαίῳ βίοτον ἐκσωσοίατο.*[93])

Pers. 369: *ὡς εἰ μόρον φευξοίαθ᾽ Ἕλληνες κακόν.*

Pers. 451: *φθαρέντες ἐχθροὶ νῆσον ἐκσωζοίατο.*

Sup. 754: *εἰ σοί τε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.*

Choeph. 484: *κτιζοίατ᾽· εἰ δὲ μή, παρ᾽ εὐδείπνοις ἔσῃ.*

Sup. 695 (cant.): *μοῦσαν θείατ᾽ ἀοιδοί.*[94])

Soph. OR. 1274: *ὀψοίαθ᾽, οὓς δ᾽ ἔχρῃζεν οὐ γνωσοίατο.*[95])

Ai. 842: *πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.*

OC. 44: *ἀλλ᾽ ἵλεῳ μὲν τὸν ἱκέτην δεξαίατο.*

OC. 945: *κἄναγνον οὐ δεξοίατ᾽ οὐδ᾽ ὅτῳ γάμοι* ctt.

OC. 602: *πῶς δῆτά σ᾽ ἂν πεμψαίαθ᾽, ὥστ᾽ οἰκεῖν δίχα;*

OC. 921: *οὐδ᾽ ἄν σ᾽ ἐπαινέσειαν, εἰ πυθοίατο.*

El. 211: (cant.) *μηδέ ποτ᾽ ἀγλαΐας ἀποναίατο.*

---

92) Ne quis etiamnunc Atticorum *αισιν* ex Ionum *ῃσιν* ortum esse existimet vel *ῃσιν* ex *αισιν*: utrumque profectum est ab antiquiore forma *ᾱισι*, alterum correpta vocali *ᾱ*, alterum mutata in *η*.

93) Sic recte Blomfieldius pro *ἐκσωσαίατο*.

94) Ingeniosa Hermanni coniectura pro *θεαί τ᾽*.

95) Inauditam codicum scripturam *ὀψαίατο* excusari irae excandescentia M. Seiffertus mihi non probabit.

Non autem hanc terminationem alienam esse a dialecto Attica praeter grammaticorum [96]) et inscriptionum [97]) testimonia aperte demonstrant Thucydides, qui in plusquamperfecto potissimum faciliore illa forma utitur, et Aristophanes,[98]) qui aeque ac tragici poetae et Homerus [99]) optativum ea terminatione ad numerorum rationem reddit accommodatiorem; ipsa scilicet illorum vocabulorum natura utpote iambica (δεξοίατο, ὀλοίατο) optime quadrat in trimetri iambici ordinem, a canticorum metris adeo abhorret, ut apud Aeschylum et Sophoclem inter XIV eius terminationis exempla II sint canticorum, diverbiorum XII, apud Pindarum unum eiusmodi exstet verbum μεμναίατ᾽ fragm. 292. Bö. 70. Bgk. (Mo. p. 489).

CAPUT III.

DE VOCIBUS EPICIS ET DORICIS.

Absolutis vocabulis Atticis antiquioribus, de quibus, cum non raro inter se pugnarent librorum fides et grammaticorum auctoritas, copiosius interdum disserendum erat, transgrediamur ad formas e p i c a s quae dicuntur; quo quidem nomine omnes comprehendimus eas formas in dialecto Attica non usitatas, quae quoniam in Homeri carminibus inveniuntur, ex his sumptae esse si non debeant, at possint. Haec autem verba quia et metri ratione pleraque ab omni artis criticae suspicione defenduntur et unam dumtaxat omniumque fere communem requirunt explicationem, brevius nunc singula enumeraturi sumus; de universa omnium for-

96) Cf. Moer. p. 154.

97) e. c. Rangabé 90, 250: ἐτετάχατο.

98) Apud Aristophanem haec habemus: Eq. 662. γενοίαθ᾽. N. 1199. ὑφελοίατο. Av. 1147. ἐργασαίατο. Lys. 42. P. 209. αἰσθανοίατο.

99) Homerus in optativo solis his utitur formis.

marum peregrinarum ratione et condicione extrema hac disputatione pauca adiciemus. Hoc tantum commemoro Euripidis me exempla numero paene infinita nunc quidem non allaturum esse nisi si ad Aeschyli et Sophoclis orationem explicandam ex his quoque aliquid redundaturum sperem utilitatis; accuratius vero me collaturum ea quae Pindarus similia dixit; quantum enim Euripides, ut iam saepius significavimus, singulari quodam quaesitarum et plane peregrinarum vocum studio adductus ab eâ norma quam Aeschylus et Sophocles constituerant recessit, tantum ad tragoediae usum illustrandum valet poesis lyricae similitudo.

Iam primum enumeramus

§. 10.

Voces non contractas,

quae etsi ex parte apud Atticos quoque olim fuisse in usu debent, illa tamen aetate sine dubio adeo in ipsa hominum lingua evanuerant ut non iam viderentur ex antiquiore tempore esse servatae, sed peregrinitatis utique prae se ferrent speciem. Quo in numero ἀείρω, ἀειχής, ἀείδω, φάος, ῥέεθρον ita universae poesi Graecae probata sunt, ut haec praeter formas volgares αἴρω, αἰχής, ᾄδω, φῶς, ῥεῖθρον et in canticis et in diverbiis nullo interposito nisi metri discrimine usurparentur. Habes igitur

ἀείρω Ag. 1525. (anap.) Pers. 661. (cant.) Sept. 759. (c.) Trach. 216. (c.) Ant. 418 (div.).

ἀειχής Prom. 97. (a.) 525. (d.) 1042. (a.)

ἀείδω Ag. 16. (d.) 708. (c.) ἐπαείδω Ag. 1021. (c.)

ἀοιδή Eum. 944. (a.) Ag. 979. (c.) Ant. 883. (d.)

ἀοιδός et φάος saepissime inveniuntur.

ῥέεθρον Agam. 210. (c.)[100] Pers. 497. (div.) OC. 687. (c.) Ant. 105. (c.) 1124. (c.)

---

100) Dindorfius in hoc loco aperte corrupto Porsonum secutus scripsit ῥείθροις.

Ceterum in omnibus his vocabulis littera spirans olim eiecta est. Ac de verbi ἀείρω radice σFερ cf. Grdz. p. 318., de adiectivi ἀεικής rad. *jικ* Grdz. p. 587.; ἀείδω antiquissimis temporibus pronuntiatum esse ἀFείδω perspicimus e voce Boeot. ἀFυδός; [101]) ῥέεθρον (ῥέFεθρον) aperte descendit e rad. ῥυ, quae manifesta est in adiect. verb. ῥυτός; in nominum φάος autem (i. e. φάFος, Aeol. φαῦος) et φῶς usu et discrimine poetae imitantur Homerum; hic scilicet sicut φόως non usurpat nisi in accusativo et nominativo, in ceteris casibus adhibet φάος, sic illi vocabuli φάος omnibus utuntur formis, vitant nominis φῶς casus obliquos φωτός et φωτί.

Solis canticis anapaestisque accommodata sunt ἀΐσσω OC. 1499. Tr. 843. (contra διάσσει OR. 208 (c.)[102]) Ἀΐδης, quod tam saepe praeter formam volgarem Ἄιδης in canticis legitur, ut singula persequi longum sit. Etiam in hoc nomine digamma olim fuisse (quod sponte ad radicem Fιδ: ἈFίδης nos ducit) diu intellectum est.

ἄεθλον, proprie ἄFεθλον,[103]) Tr. 506.

ἀέκων (ἀFέκων)[104]) Supp. 40. ἀεκούσιος Tr. 1263 (an.).

ἀέλιος, Lacon. ἀβέλιος[105]) OC. 1245. Ant. 100. 809.[106]) Sed sicut Pindarus pro sola numerorum condicione et ἀέλιος dixit (v. c. Ol. VII, 58.) et ἄλιος (Nem. VII, 73), ne tragici quidem poetae alteram formam ἄλιος spreverunt;

---

101) Cf. Ahrens. d. d. Aeol. p. 171.

102) Pers. 492. cum in cod. M. traditum sit ἵησ', recte Dindorfius reiecta scriptura volgari ἧις' scribit ἴησ'. Qui vero unus restat locus diverbiorum, Eur. Hec. 31: Ἐκάβης ἀΐσσω, σῶμ' ἐρημώσας ἐμόν, in hoc, quoniam diverbiorum sola est forma ᾄσσω, non dubito quin restituendum sit ἀνάσσω.

103) Cf. Curt. Grundz. p. 224.

104) ibid. p. 126.

105) Cf. Ahrens. de dial. Dor. 48.

106) Sine dubio mendosum est Soph. fr. 772. Ἡελίοιο κτείρειε ἐμέ; quod Brunckius sic emendavit: ἥλιος οἰκτείρειέ με.

cf. Eumen. 926. Tr. 96. 835, ubi summa iniuria Dindorfius correpta prima syllaba scripsit *ἀέλιον*.

Ποσειδάωνα Tr. 502. metro commendatur pro codicis Laur. scriptura *Ποσειδῶνα*: *ἢ Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας*. Oed. C. 1493: *ἐναλίῳ Ποσειδαονίῳ Θεῷ* cf. Pind. Nem. V, 37: *γαμβρὸν Ποσειδάωνα*. Ol. VI, 29. P. IV, 45. ctt.

ἀδελφεά, i. e. *ἀδελφεF-ja*, e quo *ἀδελφ-ή* similiter ortum est atque *δένδρον* e *δένδρεον*, i. e. *δένδρεF-ον*: OR. 160. OC. 535. *ἀδελφεός* Sept. 974.[107]) Quorum vocabulorum gravitas et sollemnitas vel ex eo apparet quod Pindarus spretis vocibus volgaribus his solis formis utitur.

ὀκριόεσσα (i. e. *ὀκριο-Fετ-ja*) Sept. 300.

στονόεσσα Pers. 1053. OR. 186. *στονόεντα* Ant. 1145.

αἱματόεντας Sup. 1045. *αἱματόεσσα* Ag. 698. Ch. 468.

ἁλμιόεντα Sup. 844. ex Hermanni coniectura.

ἀνεμοέντων Ch. 592. *ἀνεμόεσσα* Tr. 953. *ἀνεμόεν* Ant. 354.

νιφόεντος OR. 473.

πτερόεσσα OR. 509.

μαρμαρόεσσα Ant. 610.

Adiectiva in *εος* et *οος* exeuntia quamvis et in canticis et in diverbiis inveniantur, minime tamen utriusque generis eadem est ratio atque condicio: in canticis scilicet sive unam efficit syllabam illarum vocum terminatio sive re vera binae et audiuntur et metro exprimuntur syllabae, utique exstat diaeresis quae vocatur; contra in diverbiis e diversa numerorum natura diversa effloruit scriptio. Habemus enim diaeresis et pronuntiatae et scriptae exempla haec in canticis:

OC. 1051: *θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα...*

El. 510: *παγχρυσέων δίφρων.*

OR. 158: *εἰπέ μοι, ὦ χρυσέας τέκνον Ἐλπίδος, ἄμβροτε Φάμα.*

---

107) Sept. 576. librorum scriptura: *καὶ τὸν σὸν αὖθις πρόσμορον ἀδελφεόν* aperte mendosa est.

ibid. 187: *ὧν ὕπερ, ὦ χρυσέα Θύγατερ Διός...*
Ant. 102: *ἐφάνθης ποτ', ὦ χρυσέας | ἁμέρας βλέφαρον.*

In quibus exemplis tria illa quae extremo loco posui altera splendent poesis et epicae et lyricae similitudine: correpta vocali *ῡ*; cf. Pind. Pyth. IV, 4: *ἔνθα ποτὲ χρῡσέων Διὸς αἰετῶν πάρεδρος.*

Contractio pronuntiatur, non scribitur in his versibus: Soph. fr. 479, 3: *χαλκέοισι κάδοις δέχεται*, et ibid. v. 7: *γυμνὴ χαλκέοις ἅμα δρεπάνοις*, in systemate anapaestico.

Nullum vero neque in fabularum canticis neque in poetarum lyricorum carminibus reperias vestigium scripturae *χρυσοῦς, χαλκοῖς*, quae forma volgaris a carminum melicorum maiestate longe abhorret.

Contra in diverbiis pronuntiatio et scriptio plane inter se ita respondent, ut prorsus absit synizesis elegantia. Habes igitur

Sept. 434: *χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασιν Πρήσω πόλιν.*
El. 711: *χαλκῆς ὑπαὶ σάλπιγγος ᾖξαν· οἱ δ' ἅμα...*
OC. 1591: *χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐρριζωμένον.*
Ant. 699: *οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;*
Tr. 683: *χαλκῆς ὅπως δύσνιπτον ἐκ δέλτου γραφήν...*
Soph. fr. 767: *χρυσῇ μακέλλῃ Ζηνὸς ἐξαναστραφῇ.*
Choeph. 686: *νῦν γὰρ λέβητος χαλκέου πλευρώματα.*
Ant. 430: *ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου..*
Tr. 556: *θηρὸς, λέβητι χαλκέῳ κεκρυμμένον.*
Tr. 1099: *δεινῆς Ἐχίδνης θρέμμα, τόν τε χρυσέων...*
Soph. fr. 429: *καὶ πλῆρες ἐκπιόντι χρύσεον κέρας.*
ibid. 731: *ἐρρηξάτην ἐς κύκλα χαλκέων ὅπλων.*

Eodem pertinet Tr. 769: *χιτὼν ἅπαν κατ' ἄρθρον· ἦλθε δ' ὀστέων...*

Prorsus eadem est condicio ac distributio nominum *νόος, ῥόος*, et eorum adiectivorum quorum altera pars est *νόος, ῥόος, ζόος, σόος, πλόος, πνόος, σκόος.* Habemus enim

Tr. 844: *προσέβαλε, τὰ δ' ἀπ' ἀλλοθρόου*; cf. antistrophae v. 855. *ἀπέμολε πάθος οἰκτίσαι*. Quo in versu malo synizesin statuere sane haud ita volgarem sed poetarum lyricorum consuetudine optime confirmatam, quam cum Erfurdtio et Dindorfio inferre formam contractam *ἀλλόθρου* in canticis plane inauditam.

Secuntur pronuntiatae diaeresis in canticis exempla satis multa: *νόος* Phil. 1209. *νόον* Prom. 163. *ἁμαρτίνοος* Sup. 542. *πρόνοον* ibid. 969. *κουφονόων* Ant. 343. 617. *δορυσσόοις* Sept. 125. *ἀντιπνόους* Ag. 149. *ἀδυπνόων* El. 480. *δυσπνόοις* Ant. 587. *μιξοθρόου* Sept. 331. *δύσθροον* Pers. 941. 1077. *πολυθρόοις* Sup. 820. *δαμοθρόους* Ag. 1409. *φυσίζοον* Sup. 585; — in anapaestis: *ἀλλοθρόοις* Sup. 973. *οἰωνόθροον* Ag. 56; — in diverbiis: *νόον* Choeph. 742. *ῥόον* Pers. 746. *δορυσσόον* Sup. 182. 985. *πυρπνόου* Prom. 371. *πυρπνόον* Sept. 493. 511. *διάπλοον* Pers. 382. *καλλιρρόου* P. 201. *ὀρεσκόου* Sept. 532.

Denique contractio scripta est in his anapaestorum et diverbiorum versibus: *παράνους* Ag. 1455 (anap.). *κουφόνουν* Prom. 383. *φαιδρόνους* Ag. 1229. *ἀντίπνουν* Prom. 1087. (an.[108]) *ἔκπλουν* Pers. 385. *δημόθρους* Ag. 883. 938. 1413. *ἀλλόθρουν* Ag. 1200.

Similis observatur lex in genetivi terminatione *έων*, quae etsi sine dubio cum in omnibus linguae Graecae dialectis tum apud Atticos olim exstiterat, quin pauca vestigia omnibus temporibus reliquit,[109]) propter ceteras terminationes *εα*, *εος*, *εϊ* melius in hoc genere quam in formis Atticis numeratur. Etiam haec igitur in canticis, sive

108) Iniuria igitur Porsonus et Hermannus formam non contractam poetis tragicis magis probatam rati Prom. 917. distractam revocarunt formam *πυρπνόον* pro librorum scriptura *πύρπνουν*.

109) *τειχέων*, *ὀρέων* nonnunquam in Xenophontis libris inveniuntur; quin *ἀνθέων* semper mansisse distractum grammatici docent. cf. Koen. ad Greg. Cor. p. 380. Apud Aristophanem haec legimus exempla gravitate lyrica epicave insignia: Nub. 279. *ὀρέων*; Av. 744. 749. 1374. *μελέων*; Av. 908. 972. *ἐπέων*; Ran. 1531. *ἀχέων*; Vesp. 615. *βελέων*.

unam efficit syllabam sive distinetur, plena significatur scriptura;[110] in diverbiis pro numerorum commoditate et linguae Atticae consuetudine aut relinquitur distracta aut contrahitur.

Retinet autem suam utraque syllaba vim ac mensuram in his canticorum et anapaestorum locis:

λεχέων Prom. 895. Ag. 51. (anap.) Ant. 630. Tr. 514. *βρετέων* Sept. 96. *ἐντελέων* Ag. 105.[111] *δυσμενέων* Sept. 234. *εὐγενέων* Soph. fr. 583[a]. *μελέων* Pers. 992. *ἐτέων* Ai. 1185. *ξιφέων* Ant. 820. (anap.) *ἐπέων* ibid. 1134. *ὀρέων* OR. 1108. Ant. 1131. *βελέων* Ai. 1213. Phil. 1151. 1205. *ἀχέων* Sup. 14 (a.). Ag. 1558 (a.). El. 159. 852. *ἀλγέων* Sept. 368. Phil. 827. *τειχέων* Sept. 88.[112] *στεφέων* ib. 101. *στηθέων* ib. 563. *νεικέων* ib. 941. *ἀχθέων* ib. 948.

Coalescunt vocales *εω* per synizesin in his vocibus:

σακέ͡ων Sept. 160. *φαρέ͡ων* ibid. 329. *στηθέ͡ων* ib. 865. (an.) *βρετέ͡ων* Sup. 430. *νεικέ͡ων* Ag. 151. Ai. 718. Ant. 111. *ἐγχέ͡ων* OC. 699. Ant. 975. *ἑλκέ͡ων* Phil. 697. *πελαγέ͡ων* Ai. 703. Ant. 966.

In diverbiis quattuor inveni genetivos in *έων*:

τευχέων Eum. 742. *ἀνθέων* El. 896. — *τειχέ͡ων* Sup. 475. et *ἑρκέ͡ων* Ai. 1274. in eo habenda sunt numero, quem commemoravimus not. 109; constat enim in volgari quoque oratione formam *τειχέων* praelatam esse formae contractae *τειχῶν*.

Paullo aliter comparati sunt horum substantivorum nominativi, quippe qui sane in diverbiis fere semper contrahantur, in canticis praeter formam solutam non spernant contractam. In qua ipsa re poetis tragicis viam muniverunt lyrici poetae, qui pro varia numerorum natura modo in-

110) Perperam Dindorfius Sup. 551. in carmine mel. pro *ὀρῶν* scripsit *ὀρῶν*; *ὀρέων* certe scribendum erat.

111) In M. est *ἐκτελέων*.

112) Dindorfius scripsit *τάφρων*.

citatam eligunt terminationem ε̄α, modo alteram η̄. cf. Pind. Ol. II, 83: *πολλά μοι ὑπ᾽ ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας.* Iam apud Aeschylum et Sophoclem haec leguntur terminationis ε̄α exempla:

βέλεα Pers. 269. OR. 205. *πάθεα* Sup. 111. Eum. 497. El. 210. OR. 1330. *ὄρεα* OR. 208. *ἤθεα* Prom. 184. *ἄχεα* Sept. 973. Ch. 419. *ἄκεα* Eum. 506. *ἐναγέα* Sup. 123.

In diverbiis unum invenitur *βρέτεα* Sup. 463.

Multo rariores sunt terminationes εος, εϊ, εα accusativi: Sept. 833. *ὦ μέλαινα καὶ τελεία γένεος Οἰδίπου τ᾽ ἀρά.*

Sept. 937: *νείκεος ἐν τελευτᾷ.*

Sup. 885: *βρέτεος ἄρος ἄτα.*

Tr. 883: *τάνδ᾽ αἰχμὰν βέλεος κακοῦ ξυνεῖλε.*[113])

Tr. 815: *κύματ᾽ ἐν εὐρέϊ πόντῳ βάντ᾽ ἐπιόντα τ᾽ ἴδῃ.* Cf. Pind. Ol. VIII, 33: *τείχεος, ἦν ὅτε νιν πεπρωμένον* ctt.

Pyth. XI, 24: *ἢ ἑτέρῳ λέχεϊ δαμαζομέναν.*

Denique etiam in verborum numero nonnulla inveniuntur diaeresis exempla:

Prom. 542: *Ζῆνα γὰρ οὐ τρομέων...*

Pers. 64: *τείνοντα χρόνον τρομέονται.* (anap.)

Sept. 78: *θρέομαι φοβερὰ μεγάλ᾽ ἄχη.*

Sup. 110: *τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα δ᾽ ἐγώ.*[114])

Pers. 542: *ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν.* (anap.)

Sup. 117. 128: *ἱλέομαι μὲν Ἄπιαν.*

Soph. Tr. 635: *παραναιετάοντες, οἵ τε μέσσαν* ctt.

Quae diaeresis etsi quam maxime accommodata est ad numeros dactylicos et anapaesticos, non certam tamen ac definitam contineri metri rationibus regulam, ex his ipsis exemplis cognoscimus. Quod si ita est, mirum non videbitur quod nonnunquam ita usurpantur vocales ε̄ω, ε̄ου, ut per synizesin ε delitescat:

Ag. 146: *ἰήιον δὲ καλέ͡ω Παιᾶνα.*[115])

113) Cf. Aristoph. Nub. 278. (cant.) *βαρυαχέος.*

114) In vocabulo *θρέομαι* omnino nunquam fieri contractionem iam veteres perspexerunt.

115) Dindorfius scripsit *ἐπανακαλῶ.*

Choeph. 970: *ἰδεῖν θρεομένοις*..

Ai. 424: (ἔπος) *ἐξερέω μέγ' οἷον οὔ τινα* ... quo in versu quod Dindorfius Porsonum maxime et Elmsleyum secutus scripsit *ἐξερῶ*, nequaquam probaverim. Minime enim alienam esse eam synizesis elegantiam ab arte tragica, optime ex eo apparet quod Ag. 1493: *ἀσεβεῖ θανάτῳ βίον ἐκπνέων* aliter scribi omnino non potest.

Ceterum hanc quoque diaeresin tragoediae cum poesi lyrica esse communem vix est quod commemorem; cf. Isthm. I, 68: *ψυχὰν Ἀίδᾳ τελέων*. Ol. VI, 78: *ναιετάοντες ἐδώρησαν θεῶν κάρυκα*.

Quam vero Porsonus et Dindorfius in illos locos intulerant contractionem Ionicam, ne haec quidem — ut hoc statim adiungam — a lyrica et tragica poesi abhorret. Legimus enim

Prom. 122: *τὴν Διὸς αὐλὴν εἰσοιχνεῦσιν* (an.); immo etiam in diverbiis Prom. 645: *ἀεὶ γὰρ ὄψεις ἔννυχοι πωλεύμεναι*. Homerica scilicet verba et quae in cotidiana vitae lingua prorsus abessent, formam quoque adsciverunt Homericam. cf.

Od. ζ 157: *λευσσόντων τοιόνδε θάλος χρὸν εἰσοιχνεῦσαν*.
ι, 120: *οὐδέ μιν εἰσοιχνεῦσι κινηγέται, οἵτε καθ' ὕλην*··
β, 55: *οἱ δ' εἰς ἡμέτερον πωλεύμενοι ἤματα πάντα*..

Pindarus autem in precandi formulis non raro utitur voce *δέκευ*, e. c. Ol. IV, 8. *Οὐλυμπιονίκαν δέκευ*. cf. Ol. V, 3. XIII, 65. Pyth. VIII, 5.[116])

§. 11.

De formis productis quae dicuntur: *μοῦνος*, *ξεῖνος*, similibus.

Pergimus ad ea vocabula quorum plenae formae ex Homeri et reliquorum poetarum carminibus tam notae et

116) Cf. Aristoph. Eq. 560. 585. *μεδέων*; ib. 763. Lys. 834. *μεδέουσα*; P. 53. *ὑπερηνορέουσιν*. — Av. 978. *γενήσεαι*. — P. 1099. *φράζεο*. — Eq. 1015. 1030. *φράζευ*.

quasi poetarum linguae propriae ac peculiares factae erant, ut nulla interposita singulari caussa sola numerorum opportunitas modo hanc modo illam formam commendaret.

Ac μοῦνος, qua voce Homerus sola utitur pro volgari μόνος,[117] his legitur in locis diverbiorum:

Ai. 1276: ἐρρύσατ᾽ ἐλθὼν μοῦνος.

El. 531: τὴν σὴν ὅμαιμον μοῦνος Ἑλλήνων ἔτλη (θῦσαι).

OR. 304: σωτῆρά τ᾽, ὦναξ, μοῦνον ἐξευρίσκομεν.

OR. 1418: χώρας λέλειπται μοῦνος ἀντὶ σοῦ φύλαξ.

OC. 875: (ἄξω βίᾳ) κεἰ μοῦνός εἰμι, τόνδε, καὶ χρόνῳ βραδύς.

OC. 991: ἓν γάρ μ᾽ ἄμειψαι μοῦνον ὧν σ᾽ ἀνιστορῶ.

OC. 1250: ἀνδρῶν γε μοῦνος, ὦ πάτερ, δι᾽ ὄμματος...

Ant. 308: οὐχ ὑμιν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει.

Ant. 508: σὺ τοῦτο μούνη τῶνδε Καδμείων ὁρᾷς.

Ant. 705: μὴ νῦν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει.

Tr. 273: ὁθούνεκ᾽ αὐτόν μοῦνον ἀνθρώπων δόλῳ | ἔκτεινεν.

Tr. 1209: καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν.

fr. 426: εὔφημος ἴσθι μοῦνον ἐξορμωμένη.

Vides igitur μόνος formam volgarem et legitimam adhiberi ubicunque possit adhiberi, similiter atque ἀεί; μοῦνος, ut αἰεί, ubi numerorum gratia debeat usurpari. Quod vero Kuehlstaedt[118] detexisse sibi visus est, μοῦνος non dici nisi cum vehementiore quodam animi affectu, id in multos sane forte fortuna cadit locos — quamquam non minorem profecto numerum inveneris ubi in eodem rerum statu et condicione legatur μόνος — non cadit in Tr. 273. OC. 991. fr. 426, ubi nulla est mentis concitatio vel perturbatio. Hoc unum licet contendere, quod ex ipsis illis versuum sedibus quas per mensurae necessitatem obtinet ea vox,

117) μοῦνος per epenthesin quae vocatur natum esse videtur e μόν-Γος, ut γούνατα e γόνΓατα; radicem autem μον nescio an comparari liceat cum verbis μινύω, minus (Grundz. p. 300); cuius radicis prima forma μαν conspicitur in lat. voce „man-cus", sanscr. „man-âk" *parum, paullum;* gr. με-ί-ων.

118) l. c. p. 104.

sponte effloruit, semper in voce *μοῦνος* inesse vim quandam et quasi accentum, qui delitescere eam et obscurari non sinat; quo fit ut nunquam invenias locutionem *οὐ μοῦνον ἀλλὰ*, sed ubique *οὐ μόνον ἀλλά*; apparet enim exquisitioris et a communi hominum consuetudine alienae formae locum minime esse ubi nulla cernatur eius vocis vis ac momentum. Quod aperte confirmatur ceteris huius vocabuli exemplis e canticis et anapaestis excerptis:

El. 153: *οὗτοι σοι μούνᾳ, τέκνον,* | *ἄχος ἐφάνη βροτῶν.*

Tr. 959: *τὸν Διὸς ἄλκιμον γόνον* | *μοῦνον εἰσιδοῦσ' ἄφαρ.*

Phil. 183: *κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλλων.*

El. 119: (*λεύσσετε*) *τὴν βασιλίδα μούνην λοιπήν.*

Prorsus similiter statuendum est de adiectivo *ξεῖνος*,[119] quod in his legitur Sophoclis versibus:

OC. 33: *ὦ ξεῖν', ἀκούων τῇδε τῆς ὑπέρ τ' ἐμοῦ* ctt.

ibid. 49: *πρός νυν θεῶν, ὦ ξεῖνε, μή μ' ἀτιμάσῃς.*

ibid. 856: *ἐπίσχες αὐτοῦ, ξεῖνε.*

ibid. 1096: *ὦ ξεῖν' ἀλῆτα.*

ibid. 1119: *ὦ ξεῖνε, μὴ θαύμαζε.*

El. 675: *τί φῄς, τί φῄς, ὦ ξεῖνε;* ib. 1119: *ὦ ξεῖνε, δός νυν..*

OC. 1014: *ὁ ξεῖνος, ὦναξ, χρηστός· αἱ δὲ συμφοραὶ* | *αὐτοῦ πανώλεις.* fr. 153: *ἐν Ἄργει ξεῖνος ὢν οἰκίζεται.* Praeterea legitur in Laur. A. OC. 927: *ξεῖνον παρ' ἀστοῖς ὡς διαιτᾶσθαι χρεών.*

Ex hac ipsa exemplorum collatione tria facile cognoscuntur: primum *ξεῖνος*, ut *μοῦνος*, nunquam fere legi nisi ubi metri ratione commendetur; porro in adloquendi plerumque usurpari formulis; denique in tribus eis locis ubi non exstat adlocutio, oppositione quadam maiorem effici vim vocis *ξεῖνος*; opponuntur scilicet inter se OC. 1014. ipse hospes sanctissimus et miserrima eius fortuna; fr. 153. hospitium et civitas; OC. 927. hospes et cives.

---

119) *ξεῖνος* per productionem suppletoriam quam dicunt natum esse e *ξένϜος* ostendunt tituli quidam, in quibus legimus *ΞένϜων*, *πρόξενϜος*, cf. Rennerum l. c. p. 171.

Iam cum tanta sit huius vocis cum vocabulo *μοῦνος* similitudo, adeo offendit viros doctos unus ille versus OC. 927, ubi numerorum nulla adest necessitas, ut nunc quidem in plerisque editionibus scriptum invenias *ξένον*. At recte Hermannus ad Eur. Iph. T. 798. observavit fieri posse praeter illam metri necessitatem, ut orationis numeri atque elegantia plenam requirerent formam, initio potissimum versuum, velut in ipso illo Iphigeniae loco:

ξεῖν', οὐ δικαίως τῆς θεοῦ τὴν πρόσπολιν | χραίνεις, ubi insequente distinctione tenuius illud *ξέν'*, quippe quod per se omni careret pondere, plane quasi evanescere debebat. Iam si unam statuimus iuste exceptionem, cur tam graviter recusemus alteram? Vehementer Ellendtius [120]) vituperat Kuehlstaedtium, qui hunc Sophoclis versum cum illo loco Euripidis comparare ausus sit; sed quod ipse contra contendit, oppositionem non posse firmamento esse formae epicae, utpote quae neque impediat elisionem pronominum, inprimis *σέ* et *τὰ σά*, et ipsam formam *ξένος* admittat in tribus Sophoclis versibus:

OR. 817: *ᾧ μὴ ξένων ἔξεστι μήδ' ἀστῶν τινα | δόμοις δέχεσθαι.*

El. 975: *τίς γάρ ποτ' ἀστῶν ἢ ξένων ἡμᾶς ἰδών* ctt.

Tr. 187: *καὶ τοῦ τόδ' ἀστῶν ἢ ξένων μαθὼν λέγεις;*

non id quidem argumentum certissimum mihi videtur. Primum enim, id quod saepius significavimus, in universa hac disputatione si quid aliter exprimi potuit, non ideo statuendum est debuisse aliter exprimi. Quid enim? vidimus fere semper *ξεῖνος* scriptum in adloquendi formulis; legitur tamen unum vocis *ξένος* exemplum prorsus eodem modo positum quo in illo Iphig. versu *ξεῖνος*: OC. 1206: *μόνον, ξέν', εἴπερ κεῖνος ὧδ' ἐλεύσεται*: num igitur quia *ξεῖν'* in Iphigeniae illo loco constat non esse necessarium, mutandam censebimus librorum scripturam? Tum autem non plane eadem est trium istorum versuum ubi opponun-

120) In lex. Sophocl. s. v. *ξένος*.

tur *ξένοι* et *ἀστοί*, condicio, atque huius versus de quo disputamus, OC. 927, si quidem verba *ξένοι ἢ ἀστοί* ita in formulae usum abierant ut nihil omnino significarent nisi ampliorem quandam vocum *οὐδείς* vel *τίς* explicationem; in hoc vero Oedipi loco *ξεῖνος* et *ἀστοί* non componuntur tantummodo, sed cum summa sententiae vi opponuntur; qua in re ne id quidem neglegendum est, quod vox *ξεῖνον* pariter atque apud Euripidem *ξεῖν'* primam tenet versus sedem, ubi rectissime Hermannus observavit ad augendam et exprimendam vocis vim multum valere formam plenam.

Apparet igitur hac quoque in voce, id quod antea animadvertimus in vocabulo *μοῦνος*, poeticae formae elegantiam a Sophocle non adhiberi nisi ubi aut numerorum aut orationis commendetur commoditate, ita tamen adhiberi, ut ex ipsa vocis collocatione vis quaedam efflorescat et gravitas forma rariore digna. Idemque cadit in versus melicos et anapaesticos:

OC. 174: *ὦ ξεῖνοι, μὴ δῆτ' ἀδικηθῶ.*

ibid. 530: *ὦ ξεῖν'· αὗται δὲ δύ' ἐξ ἐμοῦ μέν* ctt.

ibid. 518: *χρήζω, ξεῖν', ὀρθὸν ἄκουσμ' ἀκοῦσαι*, quod cur Hermannus vocet durius et invenustum, recte miratur Ellendtius, quando quidem antistrophae versus 530. productam commendat formam vel contra librorum auctoritatem.

OC. 184: *τόλμα ξεῖνος ἐπὶ ξένης.*[121])

Sed admodum memorabile est quod neque ab Aeschylo, in cuius fabulis unum omnino exstat huius formae exemplum:

Sept. 942 (cant.): *ὁ πόντιος ξεῖνος ἐκ πυρὸς σὺν θεὶς | σίδαρος*, neque ab Euripide praeter unum illum locum quem modo tractavimus, in diverbiis usurpatur vox *ξεῖνος*; neuter vero utitur vocabulo *μοῦνος* neque in canticis neque in diverbiis, nisi quod compositum legimus apud Aeschylum *μούνωψ*, Prom. 804: *γρῦπας φυλάξαι, τόν τε μουνῶπα στρατόν.*

121) Recte Bothius restituit *ξένης* pro librorum scriptura *ξείνης* a librario ad similitudinem vocis antecedentis *ξεῖνος* accomodata

Qua ex re quam subtile fuerit quamque elegans Sophoclis in versuum et orationis numeris disponendis iudicium bene perspicitur; eandem vero consideratam eligendi diligentiam in ceteris quoque eisque non paucis rebus et admirati sumus et mox admirabimur.

Quoniam duobus exemplis, de productarum harum vocum usu et delectu quid sentiremus copiosius exposuimus, brevius licebit cetera adiungere huius generis vocabula, praesertim cum perpauca inveniantur cum illis ab omni parte conferenda.

Atque *γούνατα* [122]) etsi dicitur a nuntio OC.1607:

ῥίγησαν, ὡς ἤκουσαν· ἐς δὲ γούνατα
πατρὸς πεσοῦσαι κλαῖον,

minime tamen nuntiorum narrationum esse solarum proprium ac peculiare, optime cognoscitur si non e Sophoclis et Aeschyli fabulis, in quibus perraro legitur vox *γόνυ*, at e multis locis Euripidis, qui ita utitur vocabulis *γονάτων γόνασιν* et *γουνάτων γούνασιν*, ut cum utraque in precandi plerumque locutionibus magna cum gravitate et commotione animi dicantur, nullum inter breviorem et longiorem formam intercedat nisi mensurae discrimen.

Secuntur *δουρικλύτοις* Pers. 85. (c.) *δουρικμῆτι* Choeph. 365.[123]) (c.) *δουρίπηχϑ'* Sept. 278. (d.) *δουρίλητον* Ant. 894.[124]) (d.) *δουριάλωτον* Ai. 211.[125]) (a). Quod compositorum genus cum omnino non sit consuetudine volgari receptum, sed si non Homericam, at poeticam spiret magnificentiam, facile etiam formam adsciscit poetarum propriam.

In solis canticis haec leguntur:

δούρατι [126]) Phil. 722.

---

122) *γούνατα* est *γόνϜαια, γονυ-ατα*; cf. lat. genu.

123) Sic Blomfieldius scribi iussit pro *δοριχμῆτι*.

124) In Laur. A. est *δορίληπτον*.

125) Certissima Brunckii emendatio.

126) *δούρατι* ortum esse e *δόρϜαιι* ipse nomin. *δόρυ* ostendit.

κούρα Sept. 148. OC. 180. κουροβόρῳ Ag. 1512.[127]) νούσων Sup. 684.[128])

οὔρειος Ant. 352. οὐρεσιβώτας Ph. 1148.

εἰνάλιος Ant. 346.[129]) Quod vero Ai. 565. olim scribebant ἀλλ' ἄνδρες ἀσπιστῆρες, εἰνάλιος λεώς, melius nunc trimetrorum elegantia quid postulet spectantes scribere solent ἐνάλιος.

εἰνόδιος in anapaestis fragm. Soph. 480[130])

καὶ πῦρ ἱερὸν, τῆς εἰνοδίας | Ἑκάτης ἔγχος,

eo minus nos offendet quo facilius quam gratae acceptaeque sint eiusmodi formae numeris anapaesticis et dactylicis, cum ex ipsa horum vocabulorum natura, tum ex eo apparet quod similes voces, ut εἱλίσσω[131]), καταπνείω, apud Aeschylum non inveniuntur nisi in anapaestis et dactylis:

Prom. 138: τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου —

ibid. 1085: εἱλίσσουσι· σκιρτᾷ δ' ἀνέμων.[132])

ibid. 1092: αἰθὴρ κοινὸν φάος εἱλίσσων.[132])

Ag. 105: ἐντελέων· ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει.[133])

Ch. 622: πνείον θ' ἃ κνόφρων ὕπνῳ.[134])

Singularis quaedam vox et quae non tam universo debeatur poetarum usui, quam certo cuidam Sophoclis consilio, est εἰν:[135])

---

127) κούρα per prod. suppl. natum esse e κόρσα Curtius in Studiorum Gramm. vol. I. p. 250. luculenter docuit.

128) Dindorfius pro νούσων Atticam restituit formam νόσων.

129) In cod. est ἐνάλιος.

130) Traditum est ἐνοδίας.

131) ἑλίσσω et εἱλίσσω proprie pronuntiata esse *Fελίσσω* et cognata vox *Fελύω* et lat. volvo ostendit.

132) In libris legitur ἑλισσομένου, ἑλίσσων.

133) πνείω non crediderim simpliciter productum esse e πνέω, i.e. πνέF-ω; fortasse olim exstitit πνεύ-jω e quo descendit et πνέFω et πνείω.

134) Sic recte Heathius pro πνέων θ'.

135) Locativus ἐν-ί per epenthesin factus est εἰνί, εἰν, per apocopam ἐν.

Ant. 1241: *τέλη λαχὼν δείλαιος εἰν Ἄιδου δόμοις.*

Quam particulam summa multi iniuria in suspicionem vocaverunt utpote ab omni reliqua arte tragica alienam; quis est enim quin videat totam huius locutionis formam consulto accommodatam esse ad Homericam illam formulam omnibus Graecis notissimam *εἰν Ἀίδαο δόμοισιν*?

Denique in hexametro legi formam epicam admodum raram *εἰρύω*[136]) Tr. 1034: *τὸν φύτορ᾽ οἰκτείρας ἀνεπίφθονον εἴρυσον ἔγχος*, non mirum est.

Iam cum in diverbiis Aeschylus nulla usus sit huiusmodi forma, Sophocles praeter vocabula in omni poesi frequentissima *μοῦνος*, *ξεῖνος*, *γούνατα* et composita poetica nihil novaverit, iure, opinor, Hermannus *ἐξεκείνωσεν* Pers. 761. commutari iubet cum *ἐξερήμωσεν*; iure pro *κεινόν* Tr. 495. substituunt *κενόν*; iure Phil. 251. reiecerunt *οὔνομα*, qua coniectura Triclinius versum aperte mendosum:

οὐδ᾽ ὄνομ᾽ οὐδὲ τῶν ἐμῶν κακῶν κλέος

sanare sibi visus erat. Denique *ὑπείροχον* Prom. 428. Tr. 1096. trimetros aperte corrumpit.

§. 12.

De singulis vocabulis epicis.

Sunt pauca terrarum et gentium nomina:

Θρήξ, *Θρῇσσα*, *Θρήκιος*; *Μηλίς*, *Μηλιάς*, *Μηλιεύς*; *Ἀσιῆτις* Pers. 61. (a.) quae epice quam Attice poetae Attici pronuntiare maluerint. Cuius rei hanc fuisse caussam, ne adhibitis nominibus Doricis — quae in volgarem Atheniensium usum venerant — ad cotidianum hominum sermonem nimis accederet tragoediae oratio, bene observavit Hermannus.[137]) Quamquam non ipsos invenisse hoc discrimen poetas tragicos, sed accepisse a poetarum lyri-

136) *ἐρύω* proprie est *Ϝερύω*.

137) Praef. ad Eur. Bacch. p. 7.

corum usu, qui eas voces e carminibus epicis sumpserunt, ex eo verisimile est, quod cum apud ceteros tum apud Pindarum non Doricas invenimus formas ipsorum illorum locorum in consuetudine volgari proprias, sed voces Ionicas e poesi epica ductas; cf. Pyth. IV, 205: *φοίνισσα δὲ Θρηκίων ἀγέλα ταύρων*. Ita fit ut etiam Aristophanes, qui cotidianam plerumque pronuntiationem sequitur, in canticis melicis praeferat formam epicam; v. c. Ran. 681: *δεινὸν ἐπιβρέμεται | Θρηκία χελίδων*, contra Acharn. 136: *χρόνον μὲν οὐκ ἂν ἦμεν ἐν Θρᾴκῃ πολύν*.

In eodem numero collocandum est *τιάρας* Pers. 662, quae vox a volgari Atheniensium consuetudine aliena multo magis decet tragoediae gravitatem quam quae in cotidiano hominum usu erat *τιάρα*.[138])

Sed a nominum terminatione utique abest species Ionica; recte igitur e duobus diverbiorum locis, Agam. 577. et Choeph. 1046. editores removerunt *Τροίην* et *Ἀργείην*.

Secuntur nonnulla vocabula quae cum ipsa in omnem poesis usum recepta essent, propter diversam numerorum opportunitatem tragicis quoque poetis vehementer probata sint:

πτόλις Aeschylus et Euripides prout metri ratione commendari videbatur, dixerunt pro *πόλις*; non ita Sophocles, qui ne in canticorum quidem maiore libertate ea voce utitur.

Item horum duorum poetarum proprium est *πολιήτης*, forma epica vocis *πολίτης*, iam a poetis iambographis, ut Simonide,[139]) usurpata, Aeschylo et Euripidi non probata nisi in carminibus melicis:

Pers. 556: *τόξαρχος πολιήταις*.

Eur. El. 119: *κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν | Ἠλέκτραν πολιῆται*.

---

138) Dindorfius volgares praetulit voces *Ἀσιᾶτις* et *τιάρα*.

139) Cf. Athen. p. 573 D.

Hip. 1126: *ὦ ψάμαθοι πολιήτιδος ἀκτᾶς.*

πολλός Ant. 86: *οἵ μοι, καταύδα· πολλὸν ἐχθίων ἔσῃ.*

Tr. 1196: *πολλὴν μὲν ὕλην τῆς βαθυρρίζου δρυὸς κείραντα, πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ|ἄγριον ἔλαιον,* eo facilius in tragoediam Atticam translatum est quo usitatiores apud Athenienses ceteri erant casus ab hoc nominativo derivati: *πολλοῦ, πολλῷ, πολλοί.*

μέσσος[140]) legitur et in canticis: OC. 1247. Tr. 635. et in nuntiorum narrationibus:

Ant. 1223: *τόνδ' ἀμφὶ μέσσῃ περιπετῆ προσκείμενον.*

ibid. 1236: *ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος.*

frag. 239: *εἶτ' ἦμαρ αὔξει μέσσον ὄμφακος τύπον*; nam de hoc quidem loco etsi certum et indubitatum iudicium facere non licet, nihil tamen obstat quominus hunc quoque a nuntio dictum esse suspicemur.

τόσσος[141]) et *ὅσσος* in solis canticis:

Pers. 862: *ὅσσας δ' εἶλε πόλεις.*[142])

Ai. 185: *τόσσον ἐν ποίμναις πίτνων.*

Ph. 509: *ἆθλ' ὅσσα μηδεὶς τῶν ἐμῶν τύχοι φίλων;* quod quo iure Dindorfius Porsonum secutus commutaverit cum pronomine *οἷα*, non video, si quidem neque sententiarum connexui obstat librorum scriptura, neque numerorum rationibus; trimeter enim ille iambicus cum non sit diverbii sed cantici chorici, ne severiores quidem Atticistas iure offenderit vox epica et lyrica. Cf. Pind. Pyth. I, 13: *ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεύς.* Ol. VI, 58: *Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβάς.*

κεῖνος et *ἐκεῖνος* nullo significationis discrimine ita usurpari ut, nisi aut metri commoditas aut versus elegantia commendare videatur formam breviorem ex epica poesi in omnibus carminum generibus receptam, poetae praeferant

---

140) *μέσσος* assibilando et assimilando factum esse e *μέθjος* apparet e voce lat. medius, scr. madhjas.

141) *τόσσος* natum est e *τότιος*, cf. lat. tot, toti-dem.

142) Ag. 140. pro *τόσσων περ εὔφρων* Dindorfius ingeniose coniecit *ὅσσων παρ' εὐφρόνων.*

formam Atticam ἐκεῖνος, inter omnes nunc satis constat. Quod si ita est, vix quisquam dubitaverit duos Sophoclis locos qui ab illa lege ingenti exemplorum multitudine confirmata recedant, ad eam normam emendare: El. 427, ubi pro πέμπει με κείνη certe scribendum est πέμπει μ' ἐκείνη, et Ai. 1303:

δώρημα κείνῳ 'δῶκεν 'Αλκμήνης γόνος,

quem versum rectius sic scribi: δώρημ' ἐκείνῳ ctt. praeterea docet locus simillimus Tr. 603:

δώρημ' ἐκείνῳ τἀνδρὶ τῆς ἐμῆς χερός.[143])

Sed aliud est, vocabula in omni poesi usitatissima pro sola numerorum ratione distribuere ac disponere, aliud vocem admodum raram praeter poesim epicam et ob eam ipsam rem singulari quadam vi per se praeditam in orationem immiscere. Quare non probaverim quod Dindorfius secundum unum locum ubi bene confirmatur scriptura ἱρός, ceteros poetarum versus ita commutat ut ubicunque ἱερός in medio versu positum est, pro eo substituat ad tribrachum vitandum ἱρός. Neque enim verisimile est forte fortuna e tot huius vocabuli exemplis unum servasse veram et genuinam scripturam, cetera omnia a librariis esse corrupta, et tanta versuum multitudo restat ubi tribrachorum molestiam removere ne Dindorfio quidem contigerit, ut liceatne alteram partem intactam relinquere, commutare pro libero arbitrio alteram, valde dubium sit. Omnino autem non sine certo consilio in uno illo versu, OC. 16, formam epicam Sophocles usurpasse videtur. Quis est enim quin in hac verborum magnificentia et granditate:

χωρὸς δ' ὅδ' ἱρὸς, ὡς ἀπεικάσαι, βρύων
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες,

ipse sentire videatur deorum praesentiam et loci sanctitatem, quem Antigona non sine metu quodam ac religione audeat intrare? Huius igitur versus elegantiam exstinguit, qui

143) Cf. Dindorfii not. ad Ai. 1303.

quod eius proprium esse debeat, id ad solam metri normam revocans ubique in poetae orationem quamvis simplicem interdum omnisque gravitatis expertem infert.

Similiter iustum modum transgressus esse videtur Dindorfius in brevibus praepositionum formis, ἄν praesertim et κάτ et πάρ, disponendis. Nam quod anapaestos ita vitare studet in trimetris iambicis, recte agit, opinor, quippe quae lex in eos versus ubi eiusmodi composita in libris tradita sunt bene quadret:

Eum. 768: *τοῖς τἀμὰ παρβαίνουσι νῦν ὁρκώματα.*

Ag. 305: *πέμπουσι δ' ἀνδαίοντες ἀφθόνῳ μένει.*

Ag. 1599: *ὤμωξεν, ἀμπίπτει δ' ἀπὸ σφαγῆς ἐμῶν.*

Trach. 335: *αὐτοῦ γε πρῶτον βαιὸν ἀμμείναθ', ὅπως.*

Idem valet de tetrametro trochaico Pers. 163.

Sed tribrachos quoque quod removere conatur restituendis formis brevioribus, nimis saevit in codicum memoriam qui bis tantummodo in eiusmodi condicione apocopam ostendunt:

Pers. 807: *οὗ σφιν κακῶν ὕψιστ' ἐπαμμένει παθεῖν.*

Ch. 841: *μόρον δ' Ὀρέστου καὶ τόδ' ἀμφέρειν δόμοις*;[144]) in his autem versibus bene explicatur rarior praepositionis forma e summa illa gravitate quae inest in Darii vaticinio et Aegisthi simulato dolore.

Ceterum hoc adiungimus, in duobus vocabulis inde ab Homeri aetate apocopam legitimam fuisse: in *κατθανεῖν* et *ἀντέλλειν* (*ἀντολή*), quibus in verbis brevior praepositionis forma ita cum ipsa stirpe coaluit ut paene una et simplex vox exstitisse videretur. In canticis vero etiam praeter composita praepositionis apocopa fit; habes igitur *ἀμμένει* El. 1397. Tr. 528. 649. *ἐπαμμένει* Prom. 605. OC. 1718.[145])

ἀμμεμίξεται Pers. 1052.

144) Phil. 883: *κἀμπνέοντ': ἀνώδυνον βλέποντα κἀμπνέοντ' ἔτι* non est *καὶ ἀναπνέοντα* ut arbitratur Ellendtius, sed *καὶ ἐμπνέοντα.*

145) Sic Hermannus scripsit pro *ἐπιμένει.*

ἀμβόασον Pers. 572. ἀμβόαμα Ch. 34. ἄμβασις OC. 1070.

ἀμπέμπων Ch. 382. ἀμπνοάς Ai. 416.

ἀντρέπειν Ant. 1275. ἀνστάσεις El. 138.

ἀγκαλέσαιτ' Ag. 1021. ἄγκρισιν Eum. 365.[146])

ἄμ πεδιήρεις Pers. 566. ἄμ πέτραις Sup. 350.

παρβασία Sept. 743.[147]) παρβατός Sup. 1049.

πὰρ λίμναν Tr. 637.[148])

Praeterea aliud quoddam nonnunquam in fabulis Graecis legitur praepositionum genus a volgari sermone plane alienum: ὑπαί, διαί, καταί, παραί, qui locativi cum ab antiquissima sine dubio aetate exstitissent, temporum decursu magis magisque exolescentes ex oratione pedestri plane exstinguebantur, artis poeticae consuetudini propter mensurae commoditatem satis commendabantur, ita tamen ut solum ὑπαί ex Homeri carminibus in omnem poetarum usum transiret,[149]) rarius usurparetur παραί, διαί ne Homero quidem probaretur. Unde fit ut ὑπαί in diverbiis quoque tragoediarum inveniatur, διαί non legatur nisi in canticis, καταί et παραί paucis relinquantur compositis e vetustissima poesi traditis. Habemus igitur

ὑπαί Ag. 892: λεπταῖς ὑπαὶ κώνωπος ἐξηγειρόμην..

Eum. 417: Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.

Ant. 1035: τῶν δ' ὑπαὶ γένους | ἐξημπόλημαι..

El. 711: χαλκῆς ὑπαὶ σάλπιγγος ᾔξαν.

Ag. 944: ἀλλ' εἰ δοκεῖ σοι ταῦθ', ὑπαί τις ἀρβύλας | λύοι.

Ch. 615: (cant.) Σκύλλαν, ἅτ' ἔχθρων ὑπαὶ φῶτ' ἀπώλεσεν.[150])

146) Eum. 1015. pro ἐπανδιπλοΐζω, qua coniectura Hermannus codicum scripturam aperte vitiosam ἐπιδιπλοΐζω sanare sibi videbatur, Dindorfius recte scripsit ἔπος διπλοΐζω.

147) Sic Porsonus pro παραβασία.

148) Haec Triclinii est emendatio; in cod. est παρά.

149) De particulae ὑπαί usu apud Homerum cf. La Roche Zeitschr. f. oesterr. Gymnasien 1861, p. 337.

150) Praeterea recte Brunckius in cantico Sophoclis El. 419. pro ὑποκείμενοι restituit ὑπαὶ κείμενοι. — Apud Aristophanem duo hoc in genere habemus exempla eaque simillima:

διαί Ag. 448. 1453. 1484. Ch. 611. 641.[151])

Composita autem inveniuntur haec:

καταιβάτης Prom. 359., vocabulum sollemne et e poesi lyrica in Atticorum linguam translatum.[152])

παραιβάταν Eum. 553. (c.) vox Homerica, cf. Il. Ψ. 132.

Similiter *ποτί*[153]) praepositio Dorica et epica praeter poesim lyricam[154]) fabularum quoque et cantica et diverbia occupavit; cf. Eum. 79: *πόνον· μολὼν δὲ Παλλάδος ποτὶ πτόλιν*.. Sept. 346 (c.): Ag. 725 (c.) praeterea *ποτινισομένα* Prom. 531. (c.) *ποτιπέσω* Sept. 95. (c.) *ποτιτρόπαιος* Sup. 362. (c.) Eum. 176. (c.) *ποτιψαύων* Trach. 1214: *ὅσον γ' ἂν αὐτὸς μὴ ποτιψαύων χεροῖν.*

Sed in pronominibus quoque quaedam inveniuntur quae etsi Aeolensibus partim tribuuntur, ex Homeri tamen carminibus cum in universam poesim lyricam tum in fabularum Atticarum cantica transisse censeantur:

Acharn. 970: *εἴξειμ' ὑπαὶ πτερύγων κιχλᾶν καὶ κοψίχων.*

Av. 1426: *ὑπαὶ πτερύγων τι προσκαλεῖ σοφώτερον*;

sed dubitari vix potest quin haec ipsa verba *ὑπαὶ πτερύγων* imitationem quandam contineant aut lyrici cuiusdam poematis aut carminis popularis; quod optime perspexit scholiasta, qui ad Ach. v. 970. *ὁ δὲ τρόπος*, inquit, *ποιητικός· μιμεῖται δὲ τὸ μέλος.* Sic demum explicatur genet. Doricus *κιχλᾶν.*

151) Minime probanda videtur Hartungii audacia ac temeritas, qui omnes eos locos eosque haud ita paucos, ubi leguntur *ὑπαί*, *διαί*, corruptos esse ratus hanc epicae poesis similitudinem e fabulis Atticis plane exstirpare conatur, alias formas epicas et permultas in suspicionem vocare neque potuit neque ausus est. Omnino autem si usquam, in canticis eiusmodi verba certissime confirmata sunt.

152) Cf. Aristoph. P. 42: *Διὸς καταιβάτου.*

153) Quam facile *ποτί* e *προτί* nasci potuerit, optime perspicitur ex summa illa liquidae *ρ* volubilitate quae effecit ut modo huc modo illuc ea consona quasi migraret, cf. *προτί* — *πορτί*, *βράδιστος* — *βάρδιστος*, *καρτερεῖν* — *κρατερεῖν* ctt.

154) Cf. Pind. Ol. VII, 79: *καὶ ποτ' ἀστῶν καὶ ποτὶ ξείνων.* Ol. I, 42. *ποτινισόμενον* Ol. VI, 99. ctt.

ἄμμι Sept. 156: *τί πόλις ἄμμι πάσχει; τί γενήσεται;*
ὔμμε Ant. 846: *ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι.*
Eum. 620: (d.) *βουλῇ πιφαύσκω δ' ὔμμ' ἐπισπέσθαι πατρός* in Apollinis vaticinio.
ἀμός Sept. 417: *τὸν ἀμόν νυν ἀντίπαλον εὐτυχεῖν θεοὶ δοῖεν.*
Sup. 105: *πυθμὴν | δι' ἀμὸν γάμον τεθαλώς.*
Ch. 428: *κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.*
Ch. 437: *ἔκατι δ' ἀμᾶν χερῶν.*
Ant. 865: *ἀμῷ πατρὶ δυσμόρου ματρός.*[155])

Quamquam huius quidem pronominis latius patet usus, quippe quod diverbiis quoque vel propter metri opportunitatem se commendaverit:

Sept. 654: *ὦ πανδάκρυτον ἀμὸν Οἰδίπου γένος.*
Sup. 322: *Αἴγυπτος· εἰδὼς δ' ἀμὸν ἀρχαῖον γένος...*
El. 279: *πατέρα τὸν ἀμὸν ἐκ δόλου κατέκτανεν.*[156])
El. 588: *πατέρα τὸν ἀμὸν πρόσθεν ἐξαπώλεσας.*[156])
El. 1496: *πατέρα τὸν ἀμὸν, ὡς ἂν ἐν ταὐτῷ θάνῃς.*
Phil. 1314: *ἥσθην πατέρα τὸν ἀμὸν εὐλογοῦντά σε.*[157])

In his igitur exemplis quoniam ἀμός in arsi ita positum est ut ἐμός omnino in eum locum substitui nequeat, recte, opinor, Dindorfius Eum. v. 440. *ἧσαι φυλάσσων ἑστίας ἀμῆς*[158]) *πέλας*, ubi nulla in forma ἀμῆς adest numerorum commoditas, ad illam normam hunc in modum restituit: *ἧσαι φυλάσσων ἑστίας ἐμῆς πέλας.*

τεός[159]) in his legitur canticorum versibus:
Prom. 162: *τίς οὐ ξυνασχαλᾷ κακοῖς | τεοῖσι;*
Sept. 105: *τί ῥέξεις, παλαίχθων Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν;*

---

155) Sic Triclinius pro ἐμῷ. — Ant. 1141. Boeckhius ante vocem πόλις restituit ἀμά; Phil. 863. Dindorfius pro ἐμᾷ scripsit ἀμᾷ.

156) α in litura, haud dubie pro ε. (Dind.)

157) Sic Tricl. pro ἐμόν. — 158) In M. est ἀμῆς.

159) Apud Aristophanem legimus τεαῖς et τεᾷ in precationibus lyricis Av. 906: *ὦ Μοῦσα, τεαῖς ἐν ὕμνων ἀοιδαῖς.* ib. 929: *τεᾷ κεφαλᾷ θέλεις* ctt. Pindarus eiusmodi formas saepissime usurpat, ἀμός P. III, 41. IV, 27. I. V, 46.

Ant. 604: *τεὰν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι;*

El. 1091: *χειρὶ καὶ πλούτῳ τεῶν ἐχθρῶν*, e certissima Hermanni coniectura.[160])

In uno pronomine *οἵ* pauca servata sunt digammatis vestigia, quod cum in poesi epica saepenumero suam vim ac potestatem exercuisset, apud lyricos quoque poetas in vocabulis haud ita paucis manserat. Hiatus igitur occurrit

Trach. 650: *ἃ δέ οἱ φίλα δάμαρ τάλαινα* (c.)

El. 196: *ὅτε οἱ παγχάλκων ἀνταία....* (c.)[161])

Ag. 1147: *περιβάλοντό οἱ πτεροφόρον δέμας.* (c.)[162])

Particula *ἦ δέ*[163]) saepius et in canticis et in diverbiis utitur Aeschylus: Pers. 16. 21. 22. 26. 289. 535. 558. 885. 889. 890. 960. 971. 996. Ag. 42. Eum. 188. 414; nunquam Sophocles. Quam vero apud hunc Ant. 968. (c.)

ἀκταὶ Βοσπορίαι ἰδ' ὁ Θρῃκῶν

omnes nunc receperunt formam *ἰδέ* pro codicum scriptura aperte mendosa *ἦδ'*, ea cum neque ullo poetarum tragicorum loco neque in lyricorum carminibus inveniatur, non omni caret dubitatione ista Triclinii emendatio, praesertim cum utique offensionem moveat hiatus.

Alia quaedam particula et epica et lyrica *ῥά*[164]) admodum raro invenitur in fabulis Graecis; praeter cantica non invenitur; habes enim

Pers. 633: *ἦ ῥ' ἀΐει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεύς.*

Ai. 172: *ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις...*

160) In cod. La. est *τῶν*. Praeterea Hermannus et Dindorfius restituerunt *τεαί* OC. 534, pro *σαί τ' ἄρ' εἰσὶν ἀπόγονοί τε καί* scribentes *αὗται γὰρ ἀπόγονοι τεαί.*

161) *οἱ* Hermannus summo iure scripsit pro *σοί.*

162) In cod. M. est *γάρ οἱ.*

163) Cf. Pind. Ol. XIII, 43. Simonid. fr. 53. (25) 4.

164) Cf. v. c. Pind. Pyth. IV, 57: *ἦ ῥα Μηδείας ἐπέων στίχες.* P. IX, 37. XI, 38. Aristophanes in uno hanc voculam usurpavit loco eoque ex Homeri carminibus sumpto: P. 1274. *σύν ῥ' ἔβαλον ῥινούς τε καὶ ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας;* cf. Il. Λ 447.

ibid. 177: *ἦ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευσθεῖσα...*
ibid. 954: *ἦ ῥα κελαινώπαν θυμὸν ἐφυβρίζει.*

Denique de particulae *αἰέν* origine quoniam iam disputavimus §. 6, nunc superest ut singula huius voculae, quae ipsa ex Homeri carminibus in poesis usum recipi coepta est, adiungamus exempla; singulare quid et gravius in ea non inesse et verisimile videtur ex eo, quod nisi ante consonam non legitur,[165]) trochaei igitur, praeter vocabulorum *ἀεί* et *αἰεί* mensuram iambicam et spondaicam, affert opportunitatem, et ex ipsa illorum locorum natura ubi occurrit *αἰέν*, manifestum est. Exstat igitur *αἰέν* in canticis Prom. 429. El. 148. 1239. Ai. 604. 1186. OR. 905. OC. 688. 1573. 1707. Tr. 120. 138. 652; in anapaestis OC. 1765; in diverbiis:

Ag. 891: *τὰς ἀμφί σοι κλαίουσα λαμπτηρουχίας | ἄτημελητοὺς αἰέν.*
Pers. 616: *τῆς τ᾽ αἰὲν ἐν φύλλοισι θαλλούσης | ἐλαίας.*
Ai. 1244: *ἀλλ᾽ αἰὲν ἡμᾶς ἢ κακοῖς βαλεῖτέ που.*
Ai. 1031: *ἐκνάπτετ᾽ αἰὲν ἔστ᾽ ἀπέψυξεν βίον.*
Ai. 682: *ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.*
El. 782: *χρόνος διῆγέ μ᾽ αἰὲν ὡς θανουμένην.*
OC. 633: *κοινὴ παρ᾽ ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία.*
OC. 989: *οὓς αἰὲν ἐμφέρεις σύ μοι (φόνους πατρῴους).*
Tr. 325: *ἀλλ᾽ αἰὲν ὠδίνουσα συμφορᾶς βάρος.*
Tr. 1074: *ἀλλ᾽ ἀστένακτος αἰὲν εἰπόμην κακοῖς.*[166])

§. 13.

De nominum et verborum declinatione.

Restat ut ipsius declinationis et coniugationis quaedam afferamus proprietates, quae cum in poesi epica et lyrica

165) Plane corruptus est Sept. 856: *πίτυλον, ὃς αἰὲν δι᾽ Ἀχέροντ᾽ ἀμείβεται.*

166) Aristophanes semel, nisi fallor, hoc vocabulo usus est: Av. 688. *προσέχετε τὸν νοῦν τοῖς ἀθανάτοις ἡμῖν, τοῖς αἰὲν ἐοῦσι*, in locutione manifesto Homerica.

ex antiquiore illa linguae consuetudine servatae essent, fabularum Atticarum decuerint cantica, a diverbiorum tenuitate abhorruerint.

Atque genetivi plena forma *οιο* legitur

Pers. 108: *ἔμαθον δ' εὐρυπόροιο θαλάσσας.*

ibid. 568: *τοὶ δ' ἄρα πρωτομόροιο | ληφθέντες πρὸς ἀνάγκας.*

ibid. 867: *πόρον οὐ διαβὰς Ἅλυος ποταμοῖο;*

apud Sophoclem nunc quidem non exstat, sed minime neglegenda sunt quae Ant. 100. in La. relicta sunt vestigia scripturae

Ἀκτὶς ἀελίοιο, κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανέν,

quae scriptura quoniam cum numerorum elegantia et sententiarum gravitate optime congruit, nescio an praeferenda sit volgari formae *ἀελίου*. Nec quidquam obstat quominus Ai. 210, qui versus in libris sic scriptus est: *παῖ τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος*, recipiamus cum Bergkio et Dindorfio aptissimam Jaegeri coniecturam *Φρυγίοιο*, qua emendatione melius consulere videbimur numerorum rationi, quam si Brunckium secuti scribamus *Τελλεύταντος*; nusquam enim consonarum duplex sive pronuntiatio sive scriptio a poetis tragicis usurpata est nisi in trimetris ad expediendum numerorum iambicorum cursum, ut

Sept. 488: *Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος.*

ib. 547: *Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ...*

Ch. 1049: *φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι.*

Soph. fr. 785: *Ἀλφεσίβοιαν, ἣν ὁ γεννήσας πατήρ...*[167])

167) Ceterum cf. Pind. Ol. II, 23. *Κάδμοιο* et multa alia. — Qui apud Aristophanem leguntur eiusmodi genetivi, ei aut sunt canticorum: Vesp. 1521. *καὶ θὴν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο*, aut in locis Homericis: P. 1090. *ὣς οἱ μὲν νέφος ἐχθρὸν ἀπωσάμενοι πολέμοιο*, aut in oraculis: Eq. 1016. *ἴαχεν ἐξ ἀδύτοιο διὰ τριπόδων ἐριτίμων.* Lys. 775. *ἐξ ἱεροῦ ναοῖο χελιδόνες, οὐκέτι δόξει* ctt. aut in proverbiis: Eq. 1059. *ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο...* quibus verbis vetustissimum illud significatur: *ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γε μὲν ἔστι καὶ ἄλλη*, cf. Eust. 1349, 46.

Tertiae declinationis hae sunt formae epicae: *ἀνέρες* Tr. 1010. Ph. 709. *ἀνέρων* Sup. 41. OR. 869. *ματέρος* Sup. 539. *ματέρι* OC. 1481, quae exempla, ut supra significavimus, omnia sunt canticorum.[168]) Quamquam etiam hac in re Euripides longius progressus in diverbiis quoque dixit *μητέρος* Or. 423. 799. 1589. *θυγατέρος* ibid. 752.

Secuntur *εὐκλεᾶ* et *νηλεᾶ* more Homerico per elisionem alterius vocalis *ε* facta ex *εὐκλεέα*, *νηλεέα*, cum Attici per contractionem vocalium *ε͞α* efficere soleant *εὐκλεᾶ*.

OR. 161: *Ἄρτεμιν, ὦ κυκλόεντ' ἀγορᾶς θρόνον εὐκλέα θάσσει.*

ib. 179: *νηλέᾳ δὲ γένεθλα πρὸς πέδῳ*. Cf. Pind. Nem. V, 15: *πῶς δὴ λίπον εὐκλεᾶ νᾶσον;* P. I, 95 *νηλεᾶ*.

Dativi pluralis terminatio *εσσι* in his exstat canticorum nominibus: Pers. 272. *διπλάκεσσιν;* 548. *βαρίδεσσι* (contra 1046. *βάρισιν*); 992. *βελέεσσιν*; Sup. 81. *μερόπεσσι*; 751. *νέφεσσι*; 1014. *φυγάδεσσι*; Ant. 116. *κορύθεσσιν*; Ai. 375. *ἑλίκεσσι*; Ant. 976. *χείρεσσι*; 1297. idem in trimetro melico. OR. 1100. Ant. 350. *ὀρεσσιβάτα*. Euripides rursus reliquorum tragicorum normam transgreditur, *χείρεσσι* usurpans in diverbio Alc. 756.[169])

---

168) Cf. Pind. Ol. I 66. *ἀνέρων*. Nem. IX, 4. *ματέρι* ctt. In Aristophanis comoediis inveni haec: *ἀνέρες* Av. 687: *ἀπτῆνες ἐφημέριοι, ταλαοὶ βροτοί, ἀνέρες εἰκελόνειροι*, in compellatione illa iocosae gravitatis plena; *ἀνέρων* Eq. 1295: *ἐρεπτόμενον τὰ τῶν ἐχόντων ἀνέρων* (c.); *ἀνέρος* Ran. 706: *εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος* (c.), quibus verbis poeta imitatur tragoediam; cf. Nauck. fr. tr. 41. p. 574. et Ribbeck. ad h. l.

169) Pindari afferre exempla non opus est. Sed Aristophanes ea terminatione non utitur nisi in sententiis epicis: P. 1075. *οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν;* cf. v. 1106; ibid. 1093. *ἔσπενδον δεπάεσσιν· ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον*; Lys. 520. *πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει;* ibid. 774. *ἦν δὲ διαστῶσιν καὶ ἀναπτῶνται πτερύγεσσιν...* et lyricis: Av. 251. *φῦλα μετ' ἀλκυόνεσσι ποτᾶται;* ibid. 941. *νομάδεσσι γὰρ ἐν Σκύθαις | ἁλᾶται Στράτων*; ibid. 1372. *ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις.*

Terminationem *μεσθα* in omnia poesis genera esse receptam non est quod demonstrem; quod ut efficeretur non paullum momenti erat in ipsa eiusmodi verborum natura quasi iambica et trochaica: *ἔπῑστάμēσθᾰ. εἶσόμēσθᾰ.* Quo fit, ut paucissima eius terminationis exempla habeamus in poesi lyrica — unum inveni *ἁπτόμεσθα* Pyth. X, 28. —, pauca in tragoediarum canticis: *πελαζόμεσθα* Sept. 144, *ἱξόμεσθα* Sup. 159., *πεισόμεσθα* ibid. 777., *διωλόμεσθ'* ibid. 907; *νεμόμεσθ'* Phil. 707, *παραμειβόμεσθ'* OC. 130; multa in diverbiis: *αἰτούμεσθα* Prom. 822., *εἰσόμεσθα* Sept. 659. Ag. 489. OR. 84. OC. 1037. Ant. 631. 1253. Tr. 594. Ai. 666., *ἐφραξάμεσθα* Sept. 798. Ag. 823., *βουλόμεσθα* Pers. 215., *βουλοίμεσθα* Phil. 529., *βουλευσόμεσθα* Ag. 846. Ch. 718., *ἀφικόμεσθα* Pers. 493. Ai. 1341, *ἐξευχόμεσθα* Sup. 275., *θησόμεσθ'* ibid. 415., *πειρασόμεσθα* Ag. 850., *ἠνειχόμεσθα* ibid. 905., *μαντευσόμεσθα* ibid. 1367., *ἑζόμεσθ'* OR. 32, *ἑψόμεσθ'* El. 253., *γνωσόμεσθα* Ai. 677., *ἀρχόμεσθ'* Ant. 63., *οἰχόμεσθ'* Tr. 85., *ἱέμεσθα* Ant. 432., *ἐφιέμεσθα* ibid. 1055., *ἀτώμεσθα* Ai. 269., *ἱστωμεσθα* OR. 147., *ἐπιστάμεσθα* Ant. 1092., *διδαξόμεσθα* Ant. 726., *μαθησόμεσθα* Ai. 667; paene innumerabilia in comoediis Atticis.

Aoristi species Homerica vel potius antiquior cernitur in verbis

ἔκτισσαν Pers. 289: *εὔνιδας ἔκτισσαν ἠδ' ἀνάνδρους* (c.)
ὀλέσσας Ai. 390: *τούς τε δισσάρχας ὀλέσσας βασιλῆς* (m.)
πέλασσον Phil. 1163: *πρὸς θεῶν, εἴ τι σέβῃ ξένον, πέλασσον* (c.)

Quibus e formis postea eliso altero *σ* eadem ratione factum est *ὀλέσας, πέλασον*, qua *μέσσος* commutatum est cum *μέσος, τόσσος* cum *τόσος*.[170])

170) Plurimos eiusmodi aoristos legimus apud Pindarum (v. c. Pyth. XI, 33: *ὄλεσσε*; Ol. X, 25: *ἐκτίσσατο*); apud Aristophanem unum *φράσσαι* Eq. 1058: *ἀλλὰ τόδε φράσσαι πρὸ Πύλου Πύλον ἥν σοι ἔφραζεν.* ibid. 1067: *Αἰγείδη, φράσσαι κυναλώπεκα, μή σε δολώσῃ.*

Aoristos ἔβᾰν Pers. 18: *προλιπόντες ἔβαν.* (a.)
ἀπέδρᾰν Ai. 167: *ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν.* (a.)
κατέβᾰν Tr. 504: *τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων.* non esse mira quadam contractione ortos ex ἔβησαν, ἔδρασαν, sed simpliciorem retinuisse ex ipsa verbi stirpe formationem inter omnes nunc constat. Anapaestos autem quantopere expediant hae formae breviores in poesi lyrica frequentissimae, facile apparet.

Similis est ratio formae *τύφλωθεν* Ant. 973; sic enim aptissime et facillime Curtius [171]) emendavit librorum scripturam *τυφλωθὲν ἐξ ἀγρίας δάμαρτος.* Nec me movet, quod nullum praeterea apud Sophoclem exstat huius passivi vestigium, quum eam formam minime abhorrere a canticorum indole atque oratione et verisimillimum sit e Pindari multis exemplis, ut Nem. II, 22. Isth. II, 29. *ἔμιχθεν*; P. IV, 69. *φύτευθεν*; N. X, 66. *στάθεν*, et paene manifestum ex Euripidis quodam versu, Hip. 1247: *ἵπποι δ' ἔκρυφθεν καὶ τὸ δύστηνον τέρας,* [172]) nisi quod hac quoque in re Euripides canticorum elegantiam in diverbii intulit mediocritatem.

ἔμμεν infinitivus in uno legitur tragoediarum Graecarum versu: Ant. 623: *κλεινὸν ἔπος πέφανται . . . τῷδ' ἔμμεν*, ubi optime eo excusatur et explicatur vox epica, quod universa haec sententia non tamquam ipsius poetae propria profertur sed ab antiquioribus viris sapientibus sumpta est.[173])

---

171) Ind. Lect. Kiel. 1855/56. p. VII.

172) Apud Aristophanem duo nunc leguntur eius formae exempla, sed alterum sumptum e poesi epica: P. 1283 *ἐκόρεσθεν*; alterum Vesp. 662. *κατένασθεν* restitutum coniectura eaque admodum dubia, si quidem omnis ab hoc loco abest orationis Homericae similitudo.

173) Simili quadam Aristophanes usus est forma *δόμεν* Av. 973. in oraculo: *τῷ δόμεν ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα*, et ibid. v. 930. in poetae lyrici illo cantico: *δὸς ἐμὶν ὅ,τι περ | τεᾷ κεφαλᾷ θέλεις | πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεΐν*; pluribus Pindarus: *ἔμμεν* Ol. V, 16; *φάμεν* Ol. I, 35.

Aoristum ἦλυθε

Ai. 234. (a.): δεσμῶτιν ἄγων ἦλυθε ποίμναν.

Rhes. 263. (c.): χιλιόναυν ἦλυθ' ἔχων στρατείαν

non video cur Dindorfium secuti [174]) commutemus cum forma volgari ἦλθεν, quandoquidem in hac tanta verborum epicorum multitudine alterum altero confirmatur et explicatur.[175])

ἐσσύθη vox Homerica formam quoque retinuit Homericam Ai. 294:

κἀγὼ μαθοῦσ' ἔληξ', ὁ δ' ἐσσύθη μόνος;

Aeschylus in eodem genere dixit θεόσσυτος

Prom. 643: θεόσσυτον χειμῶνα καὶ διαφθοράν, et ἐπίσσυτος Ag. 1150 (c.).[176])

Haud ita rara sunt syncopae quae dicitur exempla in canticis:

OR. 1314: νέφος ἐμὸν ἀπότροπον, ἐπιπλόμενον ἄφατον.[177])

OR. 159: πρῶτά σε κεκλόμενος, θύγατερ Διός.

Sup. 591: κεκλοίμαν εὐλόγως ἐπ' ἔργοις.

Sup. 41: νῦν δ' ἐπικεκλομένα | Δῖον πόρτιν.[178])

Sup. 422: τὰν ἔκαθεν ἐκβολαῖς δυσθέοις ὀρμέναν.

Ag. 1408: ῥυτᾶς ἐξ ἁλὸς ὄρμενον.

OR. 176: κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς ὄρμενον.

Ag. 429: ἀφ' Ἑλλανίδος γᾶς συνορμένοις.

Ag. 987: ὦρτο ναυβάτας στρατός. Quamquam in his formis non tam vocalis quaedam vere elisa est, quasi aoristus ὦρτο contractus sit ex ὤρετο, quam terminatio, nulla interposita vocali, statim cum vocis stirpe coniuncta; quo in genere etiam haec numeranda sunt:

φθίμενος Sept. 336 (c.): τί; τὸν φθίμενον γὰρ προλέγω.

Tr. 1161 (d.): ἀλλ' ὅστις Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλοι.

174) ad Aiacis l. c.

175) Cf. Pind. P. III, 99: ἦλυθεν ἐς λέχος ἱμερτὸν Θυώνᾳ; Aristoph. Av. 952 (c.): νιφόβολα πεδία πολύσπορά τ' ἦλυθον.

176) Cf. Pind. P. IV, 135. I. VII, 61. Aristoph Thesm. 126 (c.).

177) Cf. Pind. P. V, 105. IX, 109.

178) Cf. Pind. I. V, 53.

κτίμενος Choeph. 806 (c.): τὸ δὲ καλῶς κτίμενον ... ut recte Bambergerus coniecit pro κτάμενον, quod ipsum legitur

Pers. 923 (c.): ἦβαν Ξέρξᾳ κταμέναν Ἄιδου.[179])

ἔρυτο OR. 1351 (c.): ἔρυτο κἀνέσωσεν, οὐδὲν ἐς χάριν πράσσων, quam formam Homericam e stirpe ἐρυ derivatam iure Dindorfius restituit pro librorum scriptura ἔρρυτο a numerorum ratione aliena.

Adicimus unum genus formarum epicarum rarissimum cum in omni Graecorum poesi tum in arte tragica:

verba iterativa quae vocantur, quorum verborum exempla apud Sophoclem exstant tria, eaque in canticis quibusdam quae omnino multum in se habeant splendoris epici:

ταμιεύεσκε Ant. 950: καὶ Ζηνὸς ταμιεύεσκε γονὰς χρυσορύτους.

παύεσκε Ant. 963: παύεσκε μὲν γὰρ ἐνθέους γυναῖκας εὐιόν τε πῦρ.

βλαστάνεσκεν fr. 491: τέκνον ἄρτι βλαστάνεσκεν;[180]) apud Aeschylum unum: κλαίεσκον fr. H. 309, 3. in diverbio:

κλαίεσκον, ἔνθα νυκτέρων φαντασμάτων
ἔχουσι μορφὰς ἄπτεροι Πελειάδες.[181])

Augmenti denique ratio et condicio haud paullum viris doctis exhibuit difficultatis. Fuerunt sane, qui etsi nonnulla verba, ut ἄνωγα, καθεῦδον, καθεζόμην, καθήμην semper apud poetas tragicos carere augmento minime ignorabant, latius tamen eam rem patere pernegarent: Porsonus [182]) inprimis et Elmsleyus.[183]) Quod quo iure factum

179) Cf. Pind. I. III, 28. N. X, 59. φθίμενος. — φάμενος I. V, 49.

180) In cod. est βλάστεσκεν.

181) Apud Pindarum inveni κυλινδέσκοντο P. IV, 209; ἀράσσεσκον ibid. 226; κράτεσκε N. III, 52; apud Aristophanem ἐξαπάτασκον P. 1070. in vatis hexametris: εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι γε θεαὶ Βάκιν ἐξαπάτασκον.

182) Praef. ad Hec. p. 5. — 183) Not. ad Bacch. 1132.

sit, facillime opinor ex ipsis huius rei exemplis qualia leguntur in codicibus intellegetur. Sunt autem in diverbiis tria horum exemplorum genera: unum quod cum eam vocem antecedat non vocalis, sed consona, removeri non possit nisi coniecturarum audacia:

Aesch. Pers. 416: (*χαλκοστόμοις*) *Παίοντ'*, *ἔθρανον πάντα κωπήρη στόλον*, quam mutuae caedis descriptionem brevem ideoque gravissimam corrumpit Porsoni et Blomfieldii coniectura *παισθέντ'*, pro qua ipse sententiarum nexus certe *παιόμενον* praesens postulat.

Pers. 376: (*ἀνὴρ*) *Τροποῦτο κώπην σκαλμὸν ἀμφ' εὐήρετμον*, ubi per metri leges *ἐτροποῦτο* scribere illis licuit.

Soph. OR. 1249: (*παιδουργίαν.*) *Γοᾶτο δ' εὐνὰς, ἔνθα δύστηνος διπλοῦς* ctt. ubi eadem freti licentia augmentum illi restituerunt.

OC. 1624: (*τινὸς*) *Θώυξεν αὐτὸν, ὥρτε πάντας ὀρθίας* ctt., cuius versus initium ita constituit Porsonus: *θεῶν ἐθώυξ'*, ctt.

Pers. 313: *Φαρνοῦχος, οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον*, quem locum sanare sibi visi sunt si cum tribrachi molestia scriberent *ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς*.

Accedunt pauca exempla, in quibus cum vocalis antecedentis natura augmenti elisionem prorsus refutet, item aut augmentum omissum aut poetae oratio corrupta censenda sit:

Pers. 458: (*δὲ*) *Κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον ὥρτ' ἀμηχανεῖν*, ubi perverse Schuetzius elisionis adiecit signum: *'κυκλοῦντο*, alii scripserunt *ἐκυκλοῦντο*.

Pers. 506: (*φλογί·*) *Πῖπτον δ' ἐπ' ἀλλήλοισιν· ηὐτύχει δέ τοι* ctt., a quo loco prorsus abhorret notio aoristi, quem intulit Blomfieldius: *ἔπιτνον*.[184])

Sed hae coniecturae ut ad poetae et sententias et verba

184) Phil. 371: *ὁ δ' εἶπ' Ὀδυσσεύς, πλησίον γὰρ ὢν κύρει* recte viri docti Brunckio auctore nunc sic emendaverunt: *γὰρ ἦν κυρών*.

bene sint accommodatae — quod non plane ita esse breviter significavimus — nihilominus quoniam minime argumentis ex ipsa re petitis commendantur et confirmantur, sed ex opinione quadam praeiudicata ortae sunt, omni carent veri similitudine.

Sequitur alterum genus eorum verborum, quae ipsa in versuum initio posita sunt ultimo versus antecedentis vocabulo exeunte in vocalem:

El. 715: (ἄνω) *Φορεῖθ'· ὁμοῦ δὲ πάντες ἀναμεμιγμένοι*

El. 716: *Φείδοντο κέντρων οὐδέν, ὡς ὑπερβάλοι* ctt.

OC. 1606: (ἐφίετο) *Κτύπησε μὲν Ζεὺς χθόνιος, αἱ δὲ παρθένοι*

OC. 1607: *Ῥίγησαν, ὡς ἤκουσαν· ἐς δὲ γούνατα* ctt.

Tr. 904: (εἰσίδοι) *Βρυχᾶτο μὲν βωμοῖσι προσπίπτουσ'*

Tr. 915: (ἐπεσκιασμένη) *Φρούρουν· ὁρῶ δὲ τὴν γυναῖκα δεμνίοις* ctt.

Sed ne in his quidem exemplis verisimile est, augmentum aut propter diphthongum quae antecedit elisum esse aut cum ea diphthongo crasi coaluisse, quippe quae sive elisio sive crasis inter duos versus prorsus sit inaudita. Accedit, idque gravissimum est in omni hac disputatione, quod omnes illi versus quos modo attulimus, e narrationibus sumptae sunt, quae natura cum epica ratione propius cognatae sunt. Quid est igitur cur ex hac ipsa cum Homerico narrandi genere necessitudine illam quoque epici sermonis proprietatem effloruisse, negemus? Quod si ita est, facile adducimur, ut etiam in mediis versibus idem evenisse concedamus, — idque erat tertium horum exemplorum genus:

Pers. 310: *νικώμενοι κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα.*

Pers. 490: *βορᾶς ἐδέξαντ'· ἔνθα δὴ πλεῖστοι θάνον.*

OC. 1602: *ταχεῖ πόρευσαν σὺν χρόνῳ, λουτροῖς τέ νιν...*

Tr. 905: *γένοιτ' ἐρήμη, κλαῖε δ' ὀργάνων ὅτου* ctt.

Adicio exempla non ῥήσεων ἀγγελικῶν, at narrationum haec: Ai. 308: *παίσας κάρα θώυξεν· ἐν δ' ἐρειπίοις...*

Phil. 360: *ἐπεὶ δάκρυσα κεῖνον οὐ μακρῷ χρόνῳ.*

Phil. 369: *ὦ σχέτλι', ἦ τολμήσατ' ἀντ' ἐμοῦ τινι...*
Tr. 772: *ἐνταῦθα δὴ βόησε τὸν δυσδαίμονα* ctt.;
non enim in nuntiorum persona, sed in ipsarum longiorum narrationum natura posita est Homericae orationis similitudo.

Iam si constat neque numerorum esse hanc in rem ullam vim atque auctoritatem — vidimus enim nonnunquam per metri rationem augmentum licere restituere, ut OR. 1249. *ἐγοᾶτο* in versum bene quadraturum erat, — neque in singulis illis verbis quae augmento carent singularem quandam cerni gravitatem, — nam etsi pauca eiusmodi verba non sine aliqua vi in totius sententiae initio collocata sunt, ut Tr. 904. *βρυχᾶτο*, non pauca inveniuntur in quae tale quidquam nullo pacto cadat, ut Tr. 915. *φρούρουν*: in epico harum narrationum colore requiescendum, spinosiores distinctiones et definitiones mittendas esse censemus.[185])

Longe alia est augmenti caussa et condicio in canticis: in his scilicet non epica quaedam quaerenda est similitudo, sed universae poesis lyricae consuetudo. Sunt autem haec verba:

Aesch. Prom. 135. *σύθην*; Sept. 775. *τίον*; Pers. 675. *περίβαλες*; Ag. 231. *φράσεν*; Ag. 1553. *κάππεσε, κάτθανε*; Sup. 581. *γείνατο*. — Soph. Ai. 1193. *ὄφελε*,[186]) 1201. *νεῖμεν*; El. 147. *ἄραρεν*, aoristus ex epica et lyrica poesi translatus, cf. Od. *δ*, 777; Simonid. 41, [18] 3. — El. 205. *ἴδε*;[187]) OC. 1231. *πλάγχθη*; Ant. 134. *πέσε*; 600. *τέτατο*;[188]) 826. *δάμασεν*; 950. *ταμιεύεσκε*; 963. *παύεσκε*; fr. 491. *βλαστάνεσκεν*; in verbis iterativis scilicet iam Homerus fere semper omittit augmentum. — Ant. 955. *ζεύχθη*;[189]) 980.

185) Cf. Godofr. Hermanni praef. ad Eur. Bacch. p. XI. Matthiae Gramm. Gr. I, p. 293 sqq.

186) Ex antist. apparet falsam esse librorum scripturam *ὤφελε*.

187) Brunckii coniectura pro *εἶδε*.

188) Sic scripsit Dindorfius: *ὃ τέτατο*, pro codicum *ἐτέτατο*.

189) Adiungendum est, si vera est Curtii coniectura (cf. p. 257) Ant. 973. *τύφλωθεν*.

κλαῖον; 983. *ἄνταϲ'*;[190]) 984. *τράφη*; Tr. 514. *ἴϲαν*; 834. *τέκετο.*[191])

§. 14.

De vocibus Doricis.

Iam transgrediamur ad voces Doricas, quo nomine omnia ea vocabula comprehendimus quae cum in Homeri carminibus non legantur, ex epica poesi in fabulas Atticas translata esse non possunt. Qua in disputatione eas formas omittimus, quae cum in ipsam cotidianam Atheniensium consuetudinem transissent, omnem peregrinitatis speciem amiserant, ut *θᾶκος*, *πτάξ* similia; sicut supra non enumeravimus *κόρη*, *δέρη* quae in volgari Atticorum sermone Ionice pronuntiabantur.[192])

Iam de canticorum Dorismo quoniam accuratissime disseruit Schaeferus l. c., restat ut de anapaestis et diverbiis pauca adiciamus. Atque ab anapaestis quidem fuerunt qui omnes abiudicarent formas Doricas. Iniuria si quid video. Demonstravimus enim haud pauca inveniri in his tragoedarum partibus quae prorsus abhorrerent a diverbiis, propria essent canticorum. Quis est, v. c., qui *ἀπέδραν*, *κατέβαν*, *ἔβαν*, qui *ἤλυθε*, qui verba augmento carentia ex hoc numerorum genere removere conetur? quis est qui in suspicionem vocet *Οἰδιπόδα*

Sept. 886: *κάρτα δ' ἀληθῆ πατρὸς Οἰδιπόδα | ἐπέκρανε*;

ibid. 1055: *κῆρες Ἐρινύες, αἵτ' Οἰδιπόδα | γένος ὠλέσατε.*

---

190) In diverbiis nunquam omitti augmentum syllabicum, quod dicitur, ex eis exemplis quae supra attulimus apparet.

191) De poetarum lyricorum usu quidquam adicere non opus est; Aristophanes augmentum non omittit nisi in epico sermonis genere imitando: P. 1276. *πέλεν*; 1280, 1282. *δαίννυτο*; 1286. *θωρήσσοντ'*; 1291. *θαύμαζον*; 1299. *κάλλιπον*; Av. 701. *γένετ'*; 777. *πτῆξε* (c.)

192) De horum vocabulorum origine et ratione cf. Curtium, Studien vol. I. p. 248 sqq.

Ant. 380: *καὶ δυστήνου πατρὸς Οἰδιπόδα*;
genetivum plane Doricum et a diverbiorum natura prorsus alienum? Has igitur si anapaestis necessario relinquimus cum canticis similitudines, quid reiciamus ceteras? Accedit quod certa quaedam formarum Doricarum quae leguntur in anapaestis licet genera constituere:

Ac primum sententiarum gravitas totiusque coloris sollemnitas quam facile adsciscat ac paene postulet vocales Doricas, luculenter perspicitur e Promethei v. 115., ubi Prometheus qui satis tranquille antea miserrimam suam condicionem conquestus erat, Oceanidibus appropinquantibus subito mutato numerorum genere haec exclamat:

τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προςέπτα μ' ἀφεγγής.

non igitur mirum videtur, si similiter colores Doricos requisivit orationis gravitas in his locis:

Ag. 1538: *ἰὼ γᾶ γᾶ εἴθ' ἔμ' ἐδέξω,*
πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
δροίτας κατέχοντα χαμεύναν.
Ai. 234: *ὤμοι... δεσμῶτιν ἄγων ἦλυθε ποίμναν.*
El. 90: *στέρνων πλαγὰς αἱμασσομένων.*
OR. 1307: *αἰαῖ, αἰαῖ, δύστανος ἐγώ,*
ποῖ γᾶς φέρομαι τλάμων; πᾷ μοι
φθογγὰ διαπέταται φοράδην;
Ant. 110: *ὃς ἐφ' ἡμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκους..*
αἰετὸς εἰς γᾶν ὑπερέπτα.
Ant. 822: *θνατῶν Ἄϊδαν καταβήσῃ.*
Tr. 997: *ὦ Ζεῦ· οἵαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν, οἵαν.*

Tum sunt sollemnia quaedam epitheta quae e lyrica Graecorum poesi in tragoediam translata esse videantur:

παντόπτας Solis nomen fr. Aesch. 202:
ἵν' ὁ παντόπτας Ἥλιος αἰεὶ | χρῶτ' ctt.

παγκοίτας Ant. 804: *τὸν παγκοίταν ὅθ' ὁρῶ θάλαμον...*

νικομάχας fr. Soph. 765: *Ζεὺς νόστον ἄγοι τὸν νικομάχαν.* Fortasse eodem pertinet *χιλιοναύτας* Ag. 45: *στόλον Ἀργείων χιλιοναύταν.*

Postremum patronymica in -δης genetivum pluralis in systematis anapaesticis habent Doricum:

Ἀτρειδᾶν Ag. 44. fr. Soph. 765. Πλεισθενιδᾶν Ag. 1569. Ἐρεχθειδᾶν Ai. 202.

Haec igitur certe anapaestis relinquenda sunt; dubitationem vero mihi quoque movent ἀρωγάν Ag. 47, ubi in cod. M. ad ultimam vocalem α supra adscriptum est η; ἀτίτᾳ ibid. 72, quod nulla littera mutata melius Dindorfius scripsit ἀτίται; ἀγανά ibid. 101. in loco admodum mendoso; γέννας ibid. 1477, pro quo Ven. et Flor. habent γέννης; ἀμερίας Ai. 208, quod bene Thierschius commutari iussit cum ἠρεμίας; στερροπᾶς ibid. 257., quae forma illata videtur propter similitudinem genetivi qui antecedit: λαμπρᾶς.

Pergimus ad diverbia; in quibus haec commemoranda sunt:

Minerva apud poetas tragicos dupliciter nominatur: aut Ἀθηναία, ut Eum. 288. 299. 614., aut

Ἀθάνα, nunquam Ἀθηνᾶ.[193]) Cuius rei quaenam sit caussa ac ratio, facillime explicatur, si vera sunt quae disputavimus §. 6. Ante Euclidem scilicet archontem si forma contracta Ἀθηνᾶ omnino nondum erat vel certe in litterarum usum nondum relata, facere poetae tragici non poterant quin aut nomen tum usitatum usurparent Ἀθηναία aut formam Doricam, qua sine dubio in eis carminibus quibus dea in templorum caerimonia coli solita erat, semper utebantur.[194])

Prorsus idem cadit in Apollinis nomen ἑβδομαγέτας Sept. 800;[195]) legitimum nimirum et in deorum cultu solum usitatum nomen ne in diverbiis quidem commutari debebat.

193) Uno in loco, Phil. 134., in libris est Ἀθηνᾶ, sed apud Eust. p. 758, 44 Ἀθάνα.

194) Sic etiam Ἄματερ Aristoph. Plut. 555. 872. explicatur. E sanctorum scilicet canticorum consuetudine sollemnis illa pronuntiatio ὦ Ἄματερ in volgarem usum abiit.

195) De hoc nomine cf. Hermanni Opusc. VII, 293.

Reliquarum vocum Doricarum una omnium est eademque ratio et explicatio; sunt autem haec:

βαλός Choeph. 571. cf. Bekk. Anecd. 224, 12: *βατήρ· σημαίνει δὲ καὶ τὸν τῆς θύρας οὐδόν, ὃν Ὅμηρος βηλόν, οἱ δὲ τραγικοὶ βαλόν.*

γάπεδον Prom. 829.[196]) Recte Porsonus ad Eur. Or. 324. docet *γάπεδον* semper longam habere vocalem *α*, brevi mensura ubi opus sit scribendum esse *δάπεδον*; alterum enim compositum est e *γαία* et *πέδον*, alterum e *διά* praepositione et *πέδον*.[197]) Cf. Steph. Byz. s. v. *γῆ*: *γήπεδον··· ὅπερ οἱ τραγικοὶ διὰ τοῦ ᾱ φασίν.*

γαμόροι Sup. 613. Aeschylus Argos appellat.

γάποτος Ch. 97. 164.

δαρόν Sup. 516. Prom. 648. 940. ctt.

δάιος Prom. 352. Ai. 771. ctt.

ἔκατι saepissime apud Aeschylum Sophocl. Eur. legitur.

ἱκεταδόκος Sup. 713.

ἱπποβάμων Sup. 284. Prom. 805.

κυναγός El. 563. Eur. Ph. 1176. Iph. T. 284. Hip. 1397. Ph. 1113. Sup. 888.

κυναγία Hip. 1109.

Contra *κυνηγέτης* Eur. Hec. 1174. Herc. F. 860. Rhes. 325. *κυνηγεσίων* Eur. Hip. 224 (an.) *κυνηγετοῦντα* Ai. 5. Mirifice igitur librorum scriptura consentit et cum Phrynichi praecepto, qui p. 428: *κυναγός* inquit *τοῦτο τοὔνομα οὕτω πως μεταχειρίζονται· οἱ μὲν τραγικοὶ ποιηταὶ τρισυλλάβως λέγουσι καὶ δωρίζουσι τὸ η̄ εἰς ᾱ μετατιθέντες, κυναγός· οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τετρασυλλάβως τε προφέρουσι καὶ τὸ η̄ φυλάττουσιν, οἷον κυνηγέτης*, et cum ipsa horum vocabulorum natura: longiores scilicet voces *κυνηγέτης* et *κυνηγετεῖν* erant Atticae, breviores *κυναγός*, *κυναγία* Doricae, neque quisquam homo Atticus ante Aristotelis fere

196) Sic Porsonus pro *δάπεδον*.

197) Cf. Curt. Grundz. 548.

aetatem [198]) usus est in sermone volgari aut vocabulo *κυναγός* aut forma quae postea demum exstitisse videtur *κυνηγός*.[199])

νάιος Sup. 2 (an.). P. 279. 336. Eur. Med. 1122.[200]) Quam ad normam corrigendus mihi videtur unus Aeschyli versus ubi in M. est *νήιος*: Sup. 719.

ναμέρτεια Trach. 173; quapropter etiam Pers. 246. Porsono auctore scribendum est *ναμερτῆ*. cf. Hesych. *ναμέρτεια, ἀλήθεια*; et *ναμερτέα, ἀληθῆ*.

νίν particulam secundum solam numerorum necessitatem, sententiae nullo discrimine, usurpari pro pronomine *αὐτόν*, in volgus notum est. Quod si bene meminerimus, non difficile erit recte iudicare de formae epicae *μιν* in tragoediis Atticis fide et auctoritate. Sola enim versus commoditas si regnabat in his rebus, non verisimile est poetas tertiam adsumpsisse formam a mensura vocabuli *νιν* non diversam,— nisi si singularis quidam accederet sententiarum color et ad Homeri orationem propius accommodatus. Iam si paucissimos inspicimus illos locos ubi librorum testimonio nititur *μιν*:

Eum. 631: *ἀπὸ στρατείας γάρ μιν ἡμποληκότα...*

Tr. 388: *λέξειεν, εἴ μιν πρὸς βίαν κρίνειν θέλοις.*

Sept. 453 (c.): *κεραυνοῦ δέ μιν βέλος ἐπισχέθοι.*

Choeph. 620 (c.): *κιγχάνει δέ μιν Ἑρμῆς.*

fr. Soph. 164: *δίπτυχοι γὰρ ὀδύναι μιν ἤρικον*[201]);

Choeph. 790 (c.): *ἔλακον, ὦ Ζεῦ, σύ νιν φυλάσσοις..... ἐπεί μιν μέγαν ἄρας....*

primum ab Eumenidum et Trachiniarum illis versibus nemo, opinor, abiudicare dubitabit vocem Homericam, quippe qui

198) v. Lobeck. ad Phrynichi illum locum.

199) Recte igitur etiam Bacch. 339. nunc scribunt contra librorum auctoritatem *κυναγίαις*.

200) v. Lobeck. ad Phryn. p. 432.

201) Omittimus Sup. 998: *θῆρες δὲ κηραίνουσι καὶ βρότοι τί μιν*, qui versus aperte corruptus est. Hermannus pro *τί μιν* scripsit *τί μήν*;

loci et sint diverbiorum et ab omni abhorreant exquisitiore orationis specie et colore; sed ne ceteri quidem versus, etsi plerique utpote e canticis sumpti maiore splendent nitore et gravitate, quidquam habent dignitatis epicae, quae singularem quandam requirat vocem epicam. Iure igitur omnes nostrae aetatis editores in paucis illis locis pro vocula *μιν* Doricam substituerunt formam *νιν*, quae in eo quod extremo loco posuimus exemplo iuxta alteram mendosam formam *μιν* legitur v. 788.

ποδαγός Ant. 1181. ctt.

φαεννός Ai. 843. Eur. An. 1086. 1146. Bacch. 631. Rh. 59.

Haec vocabula si collustramus, hoc unum summi est momenti, quod omnia a volgari Atheniensium lingua plane abhorrent; peregrina igitur vocabula cum poetae Attici in fabulas suas receperunt, non in suae dialecti proprietatem ea quasi transtulerunt, sed formas quoque receperunt peregrinas. Iam duo erant fontes e quibus peregrinas voces haurirent: poesis epica et poesis lyrica; e poesi lyrica quod eas hauserunt, non ex Homeri carminibus, hoc opinor non mediocriter valet ad omnem tragoediae Graecae dialectum recte iudicandam et explicandam. Iam enim videmus artissimam esse tragoediae cum poesi lyrica necessitudinem; haec in canticis caussa fuit vocalium Doricarum; haec, ut modo intelleximus, epitheta quaedam lyrica in anapaestos transferri iussit; haec denique universae arti tragicae vocabula quaedam Dorica suppeditavit. Huc si addiderimus, quod omnes eae formae quae volgo vocantur epicae, apud Pindarum quoque leguntur: quid tandem obstabit quominus has quoque non tam ex ipsis Homeri carminibus, quam e poesi lyrica receptas censeamus? Apparet igitur — ut quam brevissime summam huius disputatiunculae proponam — non pro libero arbitrio poetas tragicos propriis et peregrinis vocabulis miscendis mirificam quandam effecisse sartaginem loquendi, hanc pronuntiantes vocem Attice, Dorice illam, tertiam sumentes e copia epica,

sed omnem tragoediae orationem bene fuisse praeparatam et incohatam consuetudine poetarum lyricorum. Primordia fabularum et quasi incunabula fuisse constat dithyrambos illos olim in Bacchi honorem cantatos, in quibus non invocari solum et precibus laudibusque lyricis adiri deum solitum esse, sed rerum quoque a se gestarum narratione epica honorari, per se valde veri simile est. Quod si ita erat, fieri vix potuit, quin quae e dithyrambis illis initium duxissent fabularum cantica, externam quoque originis similitudinem semper ita tenerent, ut dialectum exhiberent cum carminibus lyricis Pindari, Simonidis aliorum artissime cognatam, omissis scilicet eis formis, quae cum ab Atticorum lingua nimis abhorrerent, intellegi non possent. Denique singula quaedam (ut *φαεννός*, *δάιος* ctt.) quorum formae Atticae non exstarent, in diverbia translata sunt. Lyricorum vero poetarum etsi uberrimum fuisse fontem poesim epicam bene perspeximus, in singulis quidnam secuti sint consilii et rationis, diiudicare difficillimum est.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 049 617 6

DEC. 17, 1910